SIBRANDI LVBBERTI,

DE

ECCLESIA

LIBRI SEX.

Collati cum disputationibus

ROBERTI BELLARMINI.

CONSILIO



NVMINIS.

FRANEKERÆ,
Excudebat AEGIDIVS RADAEVS,
Ordinum FRISIÆ Typographus.

CIƆ.IƆ.CVII.

Ampliss. & Prudentiss. viris

CONSVLIBVS,

ET

SENATORIBVS

Inclytæ Civitatis Embdanæ

SIBRANDUS LUBBERTUS
dedico consecroque.

EMISSURUS *hos libros de Ecclesia, Amplissimi, Prudentissimiq́; Viri, existimavi me eos nemini rectiùs dedicare posse, quàm iis, qui nobilissimæ, totâq́; Germaniâ celeberrimæ Ecclesiæ hospitium præbent. Equidem cùm magnus ille* MARTINUS LUTHERUS *papales hæreses palam argueret,* GEORGIUS APORTANUS *facem Euangelii in vestra urbe accendit, & magno studio, magnaq́; animi contentione papales idolomanias ex ea profligavit. Ab eo tempore doctrina Euangelii apud vos purè & incorruptè prædicata est.*

Ac licet multi se vestræ Ecclesiæ opposuerint, magnoq́; conatu egerint, ut vel purã sanámq; Euangelii doctrinã relinqueretis; vel eam humanis cõmentis fœdaretis: tamen Dei beneficio Eccles. Embdana in agnita et cognita veritate perstitit, neq; ulla falsa doctrinæ macula cõspurcata est. Hanc ob causã constantia, pietasq́; vestra toto orbe ita prædicata est, ut cùm vicinæ remotæq́; provinciæ eos ad ignẽ, et ad furcã abriperent, qui idolis papalib. divinũ honorem exhibere recusabãt, atq; oĩa penè compita incẽdiis sanctorũ hominũ colluceret; pii & sancti homines, ut ista incẽdia vitarent, carnificumq́; manus effugerent, se in vestrã urbem, tanquã in tutũ & quietũ asylum, receperunt. Hos vestri maiores alacri animo exceperũt, neq; ullis minis, ullisve periculis adigi potuerũt, ut vel ejicerẽt, quib. hospitiũ concesserant; vel arcerent, qui, ut istas flammas effugerent, ad vos accedebãt. Hinc factũ est, ut Deus memor sui verbi, Quod uni ex istis fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. *vestrã urbem brevi tempore ita auxerit, divitiis & opibus locupletarit, ut cum præstantissimis locupletissimisq́; urbibus totius* GERMANIAE *comparari possit. Ecclesia verò vestra sanctorum hominum*

num concursu ita crevit, ut ejus fides, pietas, & εὐταξία in toto mundo prædicetur. Memini ipse, cùm summi viri CASPARUS CRUCIGERUS *&* CHRISTOPHORUS PEZELIUS *abhinc viginti quatuor annos istuc venirent, & εὐταξίαν istius Ecclesiæ cōtemplarentur, viderentq; pastorum in regenda Ecclesia industriam, Presbyterorum in corrigendis moribus solertiam, Diaconorum in curandis pauperibus benignitatem, totiúsque fraternitatis concordiam atq; consensum; palam confiterentur se tum demum vidisse genuinam, Apostolicæq; Ecclesiæ simillimam imaginem. Hujus rei non postrema causa est, quòd Deus semper pios, doctos, industrios, & pacis amantes viros excitavit, quibus vestram Ecclesiam pascendam commisit. In cæteris eminent, quem modò laudavi,* GEORGIUS APORTANUS, GELLIUS FABER, HERMANNUS BRASSIUS, ALBERTUS HERDENBERGIUS, & MENSO ALTING, *quorum illi cursum suum feliciter consummarunt, eoq; consummato migrarunt in gaudium sui Domini: Hic omnes suas curas cogitationesq; eò cōfert, ut Ecclesiam rectè pascat, in eaq; pascenda ita*

se gerit, ut ipsi hostes ei & zelum, & erudtionem, & constantiam, & vitæ integritatem tribuant. Nostis ipsi, cùm ante aliquot annos, ad vicinam Ecclesiam pascendam vocaretur, & vos eum miro studio retinere cuperetis, illum, quantumvis eam tempestatem, quæ deinde secuta est, prævideret, maluisse apud vos manere, & vobiscum unum atque commune periculum subire, quàm vobis invitis ad quietiorem stationem discedere, & suo abitu amicis dolendi, hostibus criminandi materiam relinquere. In eadem vinea cum eo laborant DANIEL BERNARDI, RICHARDUS LUCAE, RUTGERUS BIERMANNUS, *atq; hi omnes mandato munere gnaviter & diligenter funguntur. Quàmdiu autem vos civitatem, atq; illi Ecclesiam concordibus animis administrabitis, benè erit utriq;. Nam ut concordiâ Ecclesia & Civitas vestra ex parvis initiis creverunt, atque ad hoc fastigium ascenderunt; ita secundum Deum, nullâ aliâ re, quàm hâc eâdem concordiâ conservabuntur. quò magis laborabitis, ut inter vos pacem, concordiámque conservetis. Vt enim majoribus vestris æternæ laudi est, concordi*

ſtudio, atque labore Eccleſiam Vrbemq́ue colle-giſſe, & ſtabiliviſſe: ita vobis perpetuæ igno-miniæ erit, ſi veſtro diſsidio, diſcordiáve tàm nobilis Reſpub. tamq́ue illuſtris Eccleſia diſ-ſiparentur. Concordibus igitur animis, & unanimi conſenſu, illi Eccleſiam, vos Rem-publicam adminiſtrate, ut Euangelii puri-tas per vos retineatur, & ad poſteritatem propagetur; ſitque & maneat EMDA labo-rantis Veri ſtabiliſsima Nutrix. *Deus Ze-baoth regat vos ſuo Spiritu, ut pacem & con-cordiam inter vos conſervetis; idémque tue-atur, & defendat Vrbem & Eccleſiam ve-ſtram contra omnes eos, qui Sioni malè vo-lunt. Ita ſit & fiat.*

Ignatius ad Philadelphios.

Ἐμοὶ ἀρχεῖα, ἐστὶν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Iesus Christus est mihi antiquitas.*

Tertullianus. Apologet. c. 47.

Hoc mihi proficit antiquitas præstructa divinæ litteraturæ, quò facilè credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiæ.

Idem de præscript. c. 5.

Nobis nihil licet de arbitrio nostro inducere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo fideliter disciplinam nationibus assignarunt.

Vera igitur antiquitas, quam in Ecclesia sequi debemus, est illa, quæ Apostolorum, & Prophetarum doctrinam conjunctam habet, & ad minimum ab ipsis Apostolis initium capit.

LIBER PRIMVS

DE ECCLESIA,

CAPUT PRIMUM.

Quid nomen significet?

ΕΚΚΛΗΣΙΑ est cœtus evocatus. Thucydides libro, 1. ποιήσαντες ἐκκλησίαν οἱ Ἀθηναῖοι γνώμας σφίσιν αὐτοῖς προὐτίθεσαν. *Athenienses coegerunt Ecclesiam.* Sumitur etiam pro loco, in quo concio cogitur. Demosthenes pro Corona. Οἱ μὲν πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον, ἡμεῖς δ᾽ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε. *Vos verò ad Ecclesiam contenditis.* Differt ἐκκλησία à cæteris conventibus, qui græcis ὄχλος, συναγωγὴ. &c. Quod illa propriè significat concionẽ legitimam; id est, eam, quæ per præconem, in bonum publicum, ab eo, qui convocandi jus habet, convocatur: hi etiam eos, qui non sunt legitimi, ut, qui per seditionem, ac tumultum, & ab iis, qui convocandi jus non habent, congregantur. Latinis dicitur Concio, Festus, *Concio conventus dicta, quasi conventio.* Et ut ἐκκλησία apud Græcos Cætum evocatum, & locum, in quem evocatur, significat: Ita Concio apud Latinos, pro ipso conventu. et pro loco conven-

Nominis definitio.

tus usurpatur. Pro Cœtu, Cicero ad Quintum fratrem lib. 1. ep. 4. *Qui etiam privatus* (loquitur de Clodio.) *eadem manu poterit Conciones concitare.* Pro loco Gellius lib. 18. c. 7. *ascendi in concionem, concursus populi factus est.* Sed Concio Latinis & legitimos & illegitimos conventus significat. Cicero de opt. gen. orat. *Eaque donatio fieret in theatro populo convocato, qui locus non est Concionis legitimæ.* libro 4. ad Atticum. *Concionis turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furiosissimæ Publii.* Quamquam autem & nomen ἐκκλησία quandoque in malam partem accipitur, ut Psal. 26. 5. ἐμίσησα ἐκκλησίαν πονηρευομένων. *Ecclesiam malignantium.* Actor. 19. 32. ἐκκλησία συγκεχυμένη. *Ecclesia*, vel (ut Beza vertit) *concio confusa*, tamen hoc fit rariùs, & haud scio, an absolutè, hoc est sine ulla adjectione posita ita accipiatur. Quapropter Latini hanc vocem à græcis mutuati suos conventus Ecclesias nominarunt.

CAPUT II.

Quid sit Ecclesia?

PArum est, scire Ecclesiam esse conventum, nisi scias à quo, per quem, & in quem finem convocetur? His enim tribus rebus à cæteris omnibus cœtibus distinguitur & discernitur. Ac primum quod attinet, convocatur à Deo, Mat. 9. 13. *Christus venit ut vocaret peccatores ad pœnitentiam.* Rom. 9. 24. *quos etiam vocavit, nimirum*

Deus convocat Ecclesiam.

rum nos, nō solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus. 25. *Vocabo populū qui meus non erat, populum meum.* 1. Thess. 5. 24. *fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam id efficiet.* 2. Tim. 1. 4. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta.* Rom. 8. 29. *Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit.* Convocat autem Deus suos aliquando mediatè, aliquando immediatè. Mediatè, ut Æthiopem per Philippum, Act. 8. 29. Immediatè, ut Saulum, Act. 9. 4. Porrò quos mediatè vocat, eos quandoque per ordinarium, quandoque per extraordinarium ministrum vocat. Per ordinarium, quicunque per Episcopos & Præsbyteros ad eam rem constitutos cōvocantur. Quos per extraordinarium vocat, eos ut plurimùm vocat per eos, quos ipse sua voce, sine humanarum rerum adminiculo, ministros constituit, ut quos vocat per Apostolos. 2. Thess. 2. 14. *vocavit vos per ministerium nostrum*, quandoque etiam per eos, quos neque voce sua, neque visione, de qua quidem constet, neque per internuncium Angelum, sed solo interno afflatu ad ministerium capessendum movet. Ex horum numero est Philippus, qui cum antea diaconus creatus esset. Act. 6. 5. post primam persecutionem & Stephani necem, profectus est in Samariam, atque ibi prædicavit, Act. 8. 5. Ex eodem ordine sunt illi, qui circa idem tempus ex eadem occasione, in Phænicia, Cypro, & Antiochia prædicarunt, Act. 11. 19. Horum ministerium

mediatè & immediatè

non fuit ordinarium, prædicarunt enim nesciis Apostolis, ut de Philippo ex Act.8.14. de cæteris, ex Act.11.22. colligitur: neque rursus ita extraordinarium, ut Apostolorum. Nusquam enim legimus eos Christi voce ad ministerium vocatos esse. In hoc ordine contingit quandoq; ut omnia non exactè ad normam à Christo institutam congruant: exemplo est Apollo, quem, Act.18.25. legimus ex hoc eodem, ut judicamus, instinctu, ministerio in Ecclesia functum esse, priùs quam ab Aquila & Priscilla viam bonā exquisitè didicisset Act.18.28. Nemo dixerit eum ordinario more constitutum esse. Non enim est credibile Apostolos eum nondum rectè institutum ordinare voluisse. Ad hunc ordinem fortasse non ineptè quis retulerit Regem Iberum, quem Ruffinus l.1.c.10. narrat *nondum initiatum sacris factum esse suæ gentis Apostolum.*

Ad Christi communionem. Finis ad quem Ecclesia convocatur, est Christi communio, 1.Cor.1.9. *Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem filii ipsius Domini nostri Iesu Christi.* 1. Thess. 1.7. *Deus nos vocavit ad sanctificationem,* Gal.1.6. *Qui vocat vos in gratiam Christi* 1.Thes.2.12. *qui vocavit vos in suum regnum & gloriam,* 1. Pet.2.9. *Qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem* 1.Pet.5.10. *Deus omnis gratiæ auctor vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu.* 2.Pet.1.3. *Qui vocavit nos in gloriam ac virtutem.*

CAPUT III.

De Ecclesia particulari.

HAnc Ecclesiam, nec uno loco, nec uno tẽpore convocat Christus. Non uno loco, Ephesi enim, Smirnæ, & aliis multis locis in Asia: Hippone, Carthagine, & aliis plurimis locis in Africa: Corinthi, Athenis, & aliis diversis locis in Europa, plurimas Ecclesias congregatas legimus. Nec uno tempore, alii enim cœtus in Palestina, antequam Christus incarnaretur; alii in aliis locis, cùm Apostoli Euangelium per universum terrarum orbem disseminarẽt; alii post Apostolorum ætatem congregati fuerunt. Hinc factum est, ut Ecclesiastici scriptores Ecclesiam, in particularem, & universalem partiti sint. Particularem dixerunt quẽvis singularem cœtum, qui uno aliquo loco congregatur. Sive iste est totius alicujus urbis, ut. 1. Cor. 1. 2. τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi:* sive singularis cujusdam familiæ, ut Rom. 16. v. 5. Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. *Ecclesiam item quæ in domo eorum est.* Quandoque etiam magis particulariter sumitur pro conventu eorum, qui Ecclesiæ præsunt. Matth. 18. 17. εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ *dic Ecclesiæ.* ἐὰν δὲ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ. *quod si Ecclesiam non audierit.* In hac tamen disputatione, Ecclesiam particularem accipimus, pro quolibet cœtu, qui uno aliquo loco, à Deo per legitimos ministros, eosque vel ordinarios, vel ex-

Distribuitur in particularem & universalem.

Ecclesia particularis.

traordinarios, ad Christi communionem convocatur.

CAPUT IIII.

De Ecclesia universali.

Ecclesia est ratione loci, & ratione temporis universalis.

ECclesia duplici ratione dicitur universalis: ratione scilicet loci, & ratione temporis: Ratione loci; Omnes illi, qui uno tempore, diversis locis, per universum terrarum orbem, per Ecclesiæ ministros, ad Christi communionem cōvocantur, dicuntur universalis Ecclesia. Augustin. lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 103. *Ecclesia Dei vivi est columna & firmamentum veritatis, toto orbe terrarum diffusa, propter Euangelium, quod prædicatur, sicuti dicit Apostolus, In omni creatura, quæ sub cœlo est.* Sermone 99. de tempore. *Sancta Ecclesia nos sumus, sed non sic dico, nos, quasi ecce qui hic sumus, qui me modo auditis, sed quotquot sumus Christiani fideles in hac Ecclesia. i. in hac Civitate, quotquot sunt in ista regione, quotquot sunt trans mare, quotquot sunt in universo terrarum orbe. Quoniam a solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini. Sic se habet Ecclesia Catholica mater nostra.* Sermone de omnibus Sanctis. *Catholica mater Ecclesia per totum orbem longè latéque diffusa, in ipso capite Iesu edocta.* Ratione temporis, omnes illi, qui diversis temporibus à principio orbis, usque ad ejus finem, per universum terrarum orbem, ante nostram

Universalis ratione loci.

Ratione temporis universalis.

ſtram ętatem ad Chriſti communionem convocati ſunt, & adhuc convocantur, & poſt nos convocabuntur, dicuntur Eccleſia univerſalis. Auguſtin. in Pſalm. 92. *Corpus hujus capitis Eccleſia eſt, non quæ hoc loco eſt, ſed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum; nec illa quæ hoc tempore, ſed quæ ab ipſo Abel, uſq; ad eos qui naſcituri ſũt, uſq ad finem & credituri ſunt in Chriſtũ, totus populus ſanctorum ad unam civitatem pertinentium, quæ Civitas Corpus eſt Chriſti, cujus caput eſt Chriſtus.* Et in Pſal. 56. *Corpus autem ejus eſt Eccleſia, non autem iſta, aut illa, ſed toto orbe diffuſa. Nec ea quæ nunc eſt in hominibus, qui præſentem vitam agunt, ſed ad eam pertinentibus, etiam iis, qui fuerunt ante nos uſque in finem ſeculi.* Et in Pſal. 62. *Non ſolum autem fideles qui modo ſunt, ſed & qui fuerũt ante nos, & qui poſt nos futuri ſunt, uſque in finem ſeculi, omnes ad Corpus ejus pertinent cujus corporis ipſe eſt Caput, qui in Cœlum aſcendit.*

Voca. in qua Eccleſia convocatur, Externa & interna.

Vocatio, per quam & particularis, & univerſalis Eccleſia convocatur, eſt duplex, una externa, altera interna. Externa fit per ſenſibilem vocem præconis Euangelii. Interna per occultam operationem Spiritus Sancti. Hæ duæ quandoque concurrunt, quandoque verò una ab altera ſeparata eſt. Non enim neceſſariò per occultam Spiritus Sancti operationem vocatur, quicunque per ſenſibilem præconis vocem vocatur, ut, Simon Magus, Iudas, & alii; & vice verſa, non neceſſariò per ſenſibilem præconis vocem vocatur,

quicunque per occultam Spiritus Sancti operationem vocatur, ut infantes in infantia sanctificati & mortui. Vnde manifestum est unam quãdoque ab altera separari. Interdum tamen conjunguntur, ut, in Lydia. Porrò adulti aut mediatè vocantur, aut immediatè. Qui immediatè vocantur, illi per occultam Spiritus Sancti operationem vocantur, ut Paulus, Iohannes & alii. In horum vocatione sensibilis præconis vox, cũ occulta Spiritus Sãcti operatione nõ concurrit. Qui verò mediatè vocantur, illi aut efficaciter, aut voce tenus vocantur, in his occulta Spiritus Sancti operatio, cum sensibili præconis voce nõ conjungitur, qui verò efficaciter vocantur, illi & per sensibilem præconis vocem & per occultam Spiritus Sancti operationem simul vocantur. Vnde apparet duplicem esse Ecclesiæ, tam particularis, quàm uuiversalis considerationem. Aut enim Ecclesia æstimatur sensibili externa vocatione; aut spirituali occulta; sive ea sit sola, ut in iis, qui immediatè vocantur; sive cum sensibili conjuncta, ut in iis, qui mediatè efficaciter vocantur. Quam ob causam illi homines, qui à Deo per sensibilem præconis vocem ad communionem sui filii vocantur; illi etiam, qui à Deo per operationem sui Spiritus, vel mediatè, vel immediatè, ad communionem sui filii vocantur, dicuntur Ecclesia. Si quis hæc ad particularem, & universalem Ecclesiam applicabit, videbit istum cœtum, qui uno loco per sensibi-

Actor. 16.14.

lem

lem præconis vocem ad Communionem Christi vocatur, posse externam particularem Ecclesiam dici. Idem videbit omnes cœtus, in universo orbe, per sensibilem ministrorum vocem, ad communionem Christi vocatos, & operatione mentis in unum congregatos, posse externam universalem Ecclesiam dici. Hos cœtus, quia ante universale Iudicium non possunt reipsa in unum cogi, dixi operatione mentis, hoc est, sola cogitatione, in unum congregari. Vtraq; hæc est sensibilis, sed non eodẽ modo. Illa enim in se sẽsibilis est; hæc non in se, nunquam enim in unũ reipsa cogitur, sed in suis particularibus. In utraque hac sensibili, tam particulari, quàm universali, sunt boni & mali, In particulari, Matth. 26.47. *Eo adhuc loquente, venit Iudas unus ex duodecim.* Acto.5.cap. Ananias & Sapphira propter mendacium in Spiritum Sanctum à Petro occiduntur. Acto.8.13. *Simon credidit, & baptizatus permanebat apud Philippum.* 1.Timot.4.9. *Nonnulli naufragium fidei fecerunt, ex quibus sunt, Alexander, & Hymenæus, quos tradidi Satanæ.* 2.Tim.4.14. *Alexander multa mala exhibuit nobis, reddat ei dominus secundum facta ipsius.* 2.Tim.2.17. *Hymenæus & Philetus circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes, resurrectionem esse factam.* Hoc ita esse significatur per sagenam qua boni & mali pisces capiebantur; per aream, in qua est triticum & paleę, per agrum, in quo est triticum & zizania. Idem indicavit antiquitas.

August.

August. tract. 45. in Iohan. *Multi lupi intus.* De Catholica, quę in terra peregrinatur, est idem judicium. Nā si in singulis particularibus Ecclesiis, quæ hic in terra sunt, boni & mali mixti sūt, tum & in Catholica Ecclesia quæ in terra peregrinatur, & ex illis particularibus constat, etiam boni & mali mixti sunt. Nam quod est in parte, hoc etiam in toto esse negari non potest. Antiquitas id confitetur; August. tract. 6. in Iohan. *Nos fatemur in Catholica Ecclesia & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.* Fulgent. de fide, ad Pet. c. 43. *Crede aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam usque ad finem seculi frumento mixtas paleas contineri. i. bonis malos sacramentorum communione misceri.* Eodem modo, qui in uno aliquo loco, per occultam Spiritus Sancti operationem, sive eam solam, sive cum sensibili præconis vocatione conjunctam, ad Christi cōmunionem vocantur, interna particularis Ecclesia dici possunt. Hæc non est sensibilis, etsi enim electi, qua homines, videri possunt; tamen qua electi, humanis oculis videri & cōspici nequeunt, Vel quod idem est, quatenus externa voce convocantur, videri possunt: quatenus verò interna Spiritus gratia convocantur, non possunt videri. Horum respectu quælibet Ecclesia particularis dicitur sancta Ecclesia. Qui verò per universum orbem, per eandem occultam Spiritus Sancti operationem, sive eam solam, sive cum sēsibili vocatione conjunctam vocantur, illi universalis

Eccle-

Ecclesia dici possunt, idque diverso modo. Aut enim qui uno tempore per universum orbem ita vocantur; dicuntur universalis Ecclesia; Aut qui omnibus temporibus, omnibúsque locis ita vocantur, dicuntur universalis Ecclesia. Hæc posterior, est illa Ecclesia, de qua in symbolo dicimus. *Credo unam sanctam Catholicam Ecclesiam.* Hæc tantùm una est, & est electorum tantùm, in ea sunt omnes electi, & extra eam sunt omnes reprobi. Dico igitur Ecclesiam Catholicam, de qua symbolum loquitur, esse cœtum eorum, quos Deus ab initio mundi, usque ad ejus finem, vel per internam Spiritus sui operationem tantùm, vel per externum Ecclesiæ ministerium & internam Spiritus Sancti operationem simul, ad filii sui Cōmunionem efficaciter vocat. De hac verum est, quod dicitur, *extra Ecclesiam non est salus,* Et, *qui non habet matrem Ecclesiam, ille non habet Patrem Deum.* Nam ut in diluvio, quicunque erat extra Arcam Noæ, peribat; ita quicunque extra hanc Ecclesiam est, servari nequit. Hęc Ecclesia non est multiplex, sed una & eadem, perpetuò manet. Vnica columba, una sponsa, unum Corpus. Hæc est tota justificata, tota sancta, in hac vita inchoatione; in futura consūmatione. In hac non sunt membra mortua, non hypocritę, non schismatici, non interit, nec interire potest, à Christo enim & ejus Spiritu nunquā deseritur, ad hanc quicquid est elogiorum in scriptura, pertinet, & referri debet, Ep. 1.23. *Ecclesia*

Eccl[e]sia universalis.

est corpu & complementum e,us. Ap.21.10. *ostendit mihi sanctam illam Ierusalem descendentem de cœlo, à Deo.* 1. Tim.3.15. *Ecclesia est columna, et stabilimentum veritatis.* Eph.2.21. *In quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino.* Gal.3.26. *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Iesu.* Ioh.14.16. *Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* & v.26. *Consolator docebit vos omnia.* Matth.28.20. *Ecce sum vobiscum usque ad consummationem seculi.* Vno verbo, in hac sunt soli & omnes electi. Augustinus de Catechizandis rudibus c.20. *Cœlestis Ierusalem Cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, & qui sunt, & qui futuri sunt.* Hieronymus in Iob. c. 26. *Ipsa Ecclesia est sanctorum omnium congregatio.* Bernard. in cant. ser. 36. *Electi Dei sũt Ecclesia Dei.* Clemens 7. stromat. *Ecclesia est cœtus electorum, in quem colliguntur fideles & justi, quos Deus ante conditum orbẽ prædestinavit.* Gregori. in Iob. lib. 28. c. 5. *Omnes electi intra mensuras e,us cõtinentur, extra stant omnes reprobi.* Bernard. in Cantic. sermone 78. *Ecclesia est Cœtus omnium electorum ante secula prædestinatus.* Beda in 6. cap. Canticorum. *Sicut unus Dominus, una fides; unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium: ita est una Ecclesia Electorum omnium multitudo, per omnia & mundi loca, & tempora seculi, eidem uni Deo & Patri sub,ecta.* Nicolaus de consecrat. c. Ecclesia. *Ecclesia est Catholicorum*

con-

congregatio. Innocentius de summa Trinitate & fide Catholica. c. firmiter. *Ecclesia est fidelium congregatio.* distinc.93.c. legimus. *Ecclesia Catholica est multitudo fidelium fide & charitate unica.* Concil. lateran. c. 1. *una est fidelium Ecclesia, extra quam non est salus.* Canus. *Ecclesia comprehendit omnes fideles, ab Abel usque ad mundi consummationem.* Augustin. de Baptismo contra Donatist. lib. 5. c. 27. *Hortus conclusus, fons obsignatus, Lilium, Soror, sponsa Iesu Christi, de solis intelliguntur sanctis & iustis, qui sunt Iudæi in occulto, circumcisione cordis, in quibus est numerus certus sanctorũ prædestinatus ante mundi constitutionem.* Hæc non cadit sub sensus nostros; homines enim qua electi, soli Deo conspicui sunt, nec ullo humano sensu percipi possunt. 2. Tim. 2. 19. Fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc; Novit Dominus qui sint sui. Deinde ante universale Iudicium non cogitur in unum. Ob hanc causam dicimur eam credere, non videre. Neque tamen cum hæc docemus, multiplicem Ecclesiam statuimus, sed unam & eandem Ecclesiam, diverso respectu & ratione, aliter, atque aliter considerandam esse contendimus.

CAPUT V.

Definitio adversarii examinatur.

ADversarii definiunt *Ecclesiam esse cœtum hominum, eiusdem Christianæ fidei professione,*

ne,

ne, & eorundem sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis. His addunt, *tantùm esse unam Ecclesiam, non duas.* In hac definitione sunt tres partes. Professio Christianæ fidei, eorundem sacramẽtorum communio, & subjectio ad Papam Romanum. Per Christianam fidem intelligit (opinor) doctrinam fidei à Christo Apostolis traditam, & per Apòstolos litteris consignatam. Hujus doctrinæ præconio fatemur veram Ecclesiam convocari; addimus ejus professionem esse quidem valdè necessariam; sed tamen non ita necessariam, ut de Ecclesia non sit, quicunque eam doctrinam non profitetur. Nam cum nulli infãtes Christi doctrinam profiteantur, aut profiteri possint, sequitur ex omnibus iis neminem ad Ecclesiam pertinere, si professio fidei est de Catholicæ Ecclesiæ essentia. Sed hoc falsum esse ipse Adversarius non negaverit. Et si maximè neget, verum tamen non est, Deus enim ipse cõtrarium docet. Gen. 17. 7. *Sum Deus tuus, & Deus seminis tui.* Matth. 19. 14. *sinite pueros pervenire ad me, talium enim est regnum cœlorum.* Act. 2. 39. *Vobis & liberis vestris facta est promissio.* In hac igitur parte opus est mitigatione, videlicet ut soli adulti fidem profiteantur, & infantes sine propria professione, per occultam Spiritus Sancti operationem eidem corpori, quod est Ecclesia, inserantur. Porrò ex hac parte

quis

quis non malè collegerit papisticum cœtum nō esse veram Ecclesiam. Nam si ille tantùm cœtus, qui Christi doctrinam profitetur, est vera Ecclesia, tum Papisticus cœtus non est vera Ecclesia, ille enim non profitetur doctrinam Christi. Christus enim docet, se esse *unicum Mediatorem Dei & hominum* 1. Timoth. 2. 5. & *non eße in alio quoquam salutem*. Act. 4. 11. Sed papisticus cœtus & alios mediatores inter Deum & homines colit. Mariali Bernardini, in fine, & part. 9. ser. 3. assimul. 4. *Mediatrix* (loquitur de diva virgine) *Dei & hominum* & parte 3. ser. 1. *Maria est mediatrix salvationis, justificationis, recōciliationis, & intercessionis nostræ apud Deum.* Vt verò eam Christo primùm adjunxerunt, ita eam deinde excluso Christo pro sola & unica Mediatrice coluerunt. Antidotario. O Clementissima. *Desperantium spes unica.* Et, *salus & spes in te sperantium.* Et, *sis spes, ne desperatione succūbam mortis in agone, tunc, cum* NULLA SPES EST ALTERA, *nisi tu virgo puerpera, patris parens, & filia, cui me reconcilia.* Missa pro prægnantib., sequentia; O ancilla. *Ad quam confugient desolatæ prægnantes,* NISI *ad te cunctarum consolatrix cum lachrymis gementes.* Antidotario Memento. *Ad te O* VNICA *spes peccatorum confugio plenus fiducia, tibi meipsum & omnes necessitates meas recommitto, &, te matrem & patronam* PRÆ OMNIBUS *eligo & præopto.* Et Antidotario, Sancta Maria. *Ignoro ad quem fu-*

fugiam

giam, NISI *ad te dominam meam dulcissimam virginem Mariam*. Verùm qui Mariam dicunt esse mediatricem inter Deum & nos, ac docent eam esse unicam spem & salutem nostram, neq; esse præter eam spem alteram, neque posse nos nisi ad eam confugere, cùm sumus in periculis mortis & vitæ, illi Christum prorsus excludunt, & ob eam causam non docent doctrinã Christi.

Altera pars est, *eorundem sacramentorum cõmunio*, sed non quicunque cœtus eadem Sacramenta habet, est vera Ecclesia. Nam & cœtus Iudaicus habet eadem Sacramenta, & Cœtus Turcicus habet eadem Sacramenta. Et tamen neuter horum est vera Ecclesia. Causa hujus rei est, quòd non Sacramentorũ identitas, sed Sacramentorũ à Christo institutorũ veritas devincit Ecclesiam. Ob eam causam, non quicunque cœtus habet eadem Sacramenta; sed qui habet Sacramenta à Christo instituta, eaque integra, incorrupta, & in vero usu, est vera Ecclesia. Crediderim Adversarium astu quodam ita scripsisse, non enim ignorat papistis à protestantibus objici, quòd habeant quinque Sacramenta humanitus inventa. Confirmationem, Vnctionem, Ordinem, Pœnitentiam, & Matrimonium. Nihil enim de iis tanquam Sacramentis legimus in scriptura N. T. Nam quod ad scripturam attinet, tantùm reperimus duo à Christo instituta esse, Baptismũ & Cœnam. Hoc confirmat primitivæ Ecclesiæ testimonium. Augustinus de Doctri-

doctrina christiana, libr. 3. cap. 4. *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, intellectu augustissima, observatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* idem docet epistola 118. De Cataclysmo Cap. 4. *Vnus ex militibus latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina sacramenta.* idem docet Cyrill. lib. 12. c. 34. in Iohan. Chrysostomus hom. 84. in Iohan. Hugo Cardinalis in 14. cap. Iohan. August. de Civit. Dei l. 15. cap. 26. *Inde sacramenta manarunt, quibus credẽtes initiantur.* tractatu 9. in Ioh. *Mortuo Christo latus percutitur, ut profluant sacramenta quibus formetur Ecclesia.* & in Psalm. 40. *De latere Christi vera Ecclesiæ sacramenta fluxerunt.* Pascalius de cœna Domini idem docet *sunt*, inquiẽs, *sacramenta Christi in Ecclesia Catholica, Baptismus, Corpus quoque & sanguis Domini.* Hæc igitur quinque non sunt vera Ecclesię sacramenta. Ipsi Adversarii hoc non diffitentur, Alexander de Ales. parte 4. q. 8. art. 2. docet *à Christo tantùm duo sacramentum instituta esse, Baptismum & Eucharistiam.* Petrus à soto, *Omnia quæ ad integritatem eorum scilicet quinque sacramentorum certa fide necessaria tenemus. Cùm in scriptura non sint, necessè est Apostolicæ esse traditionis.* Huc accedit antiquissimos patres, videlicet Iustinum in Apologia secunda. Cyrillum in catechesibus, Ambrosium

de iis, qui initiantur mysteriis, & in libris de sacramentis, ubi ex professo describunt, & explicant doctrinam & ritus sacramentorum, tantùm facere mentionem Baptismi & S. Cœnæ; quod non fecissent, si judicassent plura sacramenta à Christo Ecclesiæ mandata esse.

Deindè ea quæ Christus instituit, mutilarunt & corruperunt. Christus enim instituit, ut omnes fideles in sacra Cœna panem & calicē domini participarent ad commemorationē mortis suę. Adversarii verò calicem fidelib⁹ abstulerūt, idque repugnante Christi institutione. Concilio Constantiensi sessione 13, *Licet Christus post Cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile sacramentum: tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas,* &c. & mox, *Licet in primitiva Ecclesia reciperetur hujusmodi sacramentum sub utraque specie: posteà à conficientibus sub utraque, & à Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.* Corruperunt eadem sacramenta, præter ea enim, quę Christus instituit, adhibent in Baptismo Chrisma, salem, salivam, & nescio quas nugas, de quibus ne γρῦ quidem in institutione Christi, prout illa in scriptura novi Testamenti à Christo per Apostolos descripta est. Ac tandem sacramentum Cœnæ Domini in sacrificium & quidem idololatricum transmutarunt; petunt enim in Missa ut *Corpus & sanguis Christi Deo à Missifico in sacrificium oblata acceptentur, utque Deus hæc se-*

reno

reno suo vultu aspicere dignetur, petunt item, ut Deus Pater Corpus & sanguinem Christi sibi à Missifico in sacrificium oblata accepta habere dignetur, quemadmodum Abelis, Abraham, & Melchisedech sacrificia accepta habere dignatus est. Canone Missę, *supra quæ propitio & sereno vultu respicere digneris: & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod obtulit tibi summus sacerdos tuus Melchisedech.* Et, *præsta sancta Trinitas, ut sacrificium quod oculis tuæ Majestatis obtuli, sit tibi acceptabile*: sed hæc omnia sunt blasphema; quid enim? num illi sunt intercessores Christi, & eum cum Patre reconciliant? an Christus ullo tempore Patri non acceptabilis fuit? & estne eadem ratio sacrificii Christi, quæ est Abelis & aliorum? Usurparunt item sacramēta ad profanos usus. Gregorius enim septimus, teste Schafnaburgensi, sacramētum Cœnę Dominicæ usurpat *ad innocentiam suam contra Henricum probandam*, & suadet Henrico Imperatori, ut idem faciat. Idem teste Bennone Cardinali, sacramentū Corporis Domini assistentib' & contradicentibus Cardinalibus in ignē conjecit, ut eventum belli contra Imperatorē suscepti præcognosceret. In ipso Missali Romano legitur missa, ad *prægnantes sublevādas*, ad *pestem tollendā*, ad *pestem brutorum Animalium mitigandā*, ad *Captivum liberandum*, & ad *pluviam eliciendam, &c.*

Tertia pars est subjectio ad Papam Romanū.

Hæc est ista Helena, ob quam certant. Est autem desumpta, ex de Majoritate. C. unam sanctam. Vbi Papa Iohannes XXII. declarat, dicit, definit & pronunciat, *omnino esse de necessitate salutis, omnem humanam creaturam subesse papæ Romano.* Verùm hæc sententia non tantùm absurda, sed etiam ridicula est. V. enim Testamenti Ecclesia nunquam fuit subjecta Pontifici Romano. Deinde Ecclesia quæ jam in Cœlo triumphat, non subest Papæ Romano. Prætereà Ecclesia Novi Testamenti, quæ fuit, cùm Christus in terra peregrinaretur, non fuit subjecta papæ Romano, sed nec illa, quæ fuit tempore Apostolorum, subjecta fuit papæ Romano. Toto enim isto tempore nullus fuit papa Romanus. Num dices Ecclesiam Veteris Testamenti, & illam quæ in Cœlo triumphat, item illam quæ fuit tempore Christi, & Apostolorum, non esse veram Ecclesiam? Appage cum istis nugis. Quin audi majorē absurditatem; dicit *omnem humanam creaturam subesse Papæ Romano*, *idque de necessitate salutis.* Num Christum, quatenus homo est, cœlesti felicitate spoliabit, nisi se Papæ Romano subjectum esse fateatur? Sed ad rem, Ecclesia Asiatica testatur se non subesse Papæ Romano. Diversum enim sentit atque Papa Romanus, neque patitur sibi aliud à Papa persuaderi, & tamen Papa cum ea pacem coluit. Eus. lib. 5. c. 23. *Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere potuit, ne servaret, quæ cum Iohanne*

discipulo

discipulo Domini nostri ac reliquis Apostolis quibuscum fuerat conversatus, semper servaverat, nec Polycarpus Aniceto suasit, ut servaret, qui sibi presbyterorum, quibus successerat, consuetudinem servandam esse dicebat. Et, cùm ista sic haberent, communionem inter se habuerunt. Vnde apparet Asiaticam Ecclesiam, in qua tum erat Polycarpus, non judicasse de salutis necessitate esse, ut subesset Papæ Romano, alioquin statim ivisset in Papæ sententiam. Seculis quidem posterioribus, Victor Romanus Asiaticos propter eandem dissensionem excommunicavit: sed cæteri Europæi Episcopi, inter quos fuit Irenæus, eum propterea graviter reprehenderunt, ac monuerunt, *ut ea sentiret, quæ sunt pacis, unitatis, & dilectionis*, & non obstante ista victoriana excommunicatione, cum Asiaticis *pacem & communionem coluerunt*, Eusebius ibidem. ex quo apparet, ne Europæas quidem Ecclesias omnes eo tempore subjectas fuisse Papæ Romano. Plura de hac re diximus, cùm de Papa Romano disputaremus, & hæc sufficiunt ad hujus definitionis vanitatem ostendendam.

CAPUT VI.

Nostra sententia de particulari et universali Ecclesia probatur in ipso Adversario.

ADversarius docet ex Augustini breviculo. Collat. 3. Ecclesiam esse *corpus vivum, in*

quo sit anima & corpus, addit. *Animam significare interna dona Spiritus Sancti, fidem, spem, charitatem. Corpus* verò *externam professionem fidei, & sacramentorum communionem.* Atque hinc infert quosdam anima & corpore, hoc est, interna fide & externa sacramentorum communione simul, quosdam sola anima, hoc est, interna fide, non externa sacramentorum communione ad Ecclesiam pertinere, & rursus esse, qui solo corpore, id est, sola sacramentorum communione, non interna fide, ad eam pertineant. Sed hoc est idem, quod nos capite quarto docuimus, vocationem scilicet, quâ ad Christi communionem convocamur, esse aliam internam, aliam externam; atque has quandoque conjungi, quandoque etiam unam ab altera separari. Conjungi, in iis, qui utraque vocatione ad Christi communionem vocantur, ut in Lydia, separari verò, primùm in iis, qui immediatè, per solam internam operationem Spiritus Sancti vocantur, ut in Petro & Paulo. Deinde in iis, qui per solam externam vocationem vocantur, ut in Iuda, & Simone mago. Vnde necessariò sequitur, aliter considerari Ecclesiam, cum ad eam pertinere dicuntur omnes illi; qui vel interna & externa vocatione simul, vel sola interna ad Christi communionem vocantur, & aliter considerari eam, cùm illi, qui sola externa vocatione ad Christi communionem convocantur, in ea esse dicuntur. Hoc adversarius agnoscit. Dicit enim, *definitio nostra compre-*

comprehendit hunc ultimum modum existendi in Ecclesia. Vltimus autem modus, est *solo corpore*, hoc est, sola externa fidei professione, & sacramentorum communione ad Ecclesiam pertinere. Sed si hoc verum est, tum non loquitur de Ecclesia Catholica. Sancti enim in cœlo triumphantes nec sacramentorum communione, nec externa fidei confessione cum Christo, aut cum Ecclesia militante conjunguntur. Infantes item non conjunguntur cum Christo, aut cum Ecclesia externa fidei confessione; sed nec Latro in cruce ulla sacramentorum communione cum Christo conjungebatur, quin electi omnes, qui nunc vivunt, & nondum conversi sunt, & illi qui nondū nati sunt, nec externa fidei confessione, nec Sacramentorum communione cum Christo cōjunguntur. Ergò hi omnes non pertinent ad hanc Ecclesiam, quam definit Adversarius. Sed hi omnes pertinent ad Ecclesiam Catholicam. Canus, *Ecclesia comprehendit omnes fideles ab Abel usque ad mundi consummationem.* Et contrà, omnes reprobi, qui sacramenta participant, externa fidei confessione, & sacramentorum communione conjunguntur cum Ecclesia, & tamen non pertinent ad Ecclesiam Catholicam, Gregor. in Iob. l. 28. c. 9. *Omnes electi intra mensuras ejus continentur, extra stant omnes reprobi.* Non igitur definivit Ecclesiam Catholicam. Non enim Catholica propriè sic dicta, sed solæ particulares Ecclesiæ externa fidei confessione & sa-

cramentorum communione copulantur, quis enim umquam fando audivit, Ecclesiam Catholicam, quæ partim in Cœlo triumphat, partim in terra militat, partim nondum nata est, sacramentorum communione copulari. Quid ergò? definit Ecclesiam particularem, sed de hac non est controversia. Exorbitat igitur adversarius in rei, de qua agitur, definitione. Cùm adversarii disputationem penitius intueor, video illum Ecclesiam propriè sic dictam definire non voluisse. Hæc enim prorsus sine sanctis & verè regeneratis esse non potest: in illa verò, quã definit adversarius, non sunt boni, sed mali tantùm. Ita enim loquitur, *Aliqui sunt de corpore, & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in sacramentis communicant sub regimine pastorum, & tales sunt, sicut capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano. Definitio igitur nostra comprehendit solum hunc ultimum modum existendi in Ecclesia.* Ecce, dicit disertè eos, qui hoc solo existendi modo ad Ecclesiam pertinent, *nullam habere internam virtutem*, & *esse in ea non aliter, atque sunt mali humores in corpore humano.* Addit definitione sua comprehendi hunc *solum modum* existendi in Ecclesia. Vnde necessariò sequitur, ad Ecclesiam quam definit, nullum electum, nullum verè regeneratum pertinere, quin ex iis, quæ dicit, necessariò sequitur, Ecclesiam, quam definit, sine

electis

electis esse posse. Hi enim multas internas virtutes habent, & longè aliter in Ecclesia, atque mali humores in corpore humano esse judicantur. Porrò Ecclesia quam definit, & de qua tam operosam, & anxiam disputationem instituit, est Catholica Romana. Catholica igitur Romana secundum sententiam Bellarmini non est congregatio fidelium aut prædestinatorum; nulli enim, ut jam dictum est, verè regenerati in ea: sed est colluvies hominum improborum. Atque hoc modo in ipso limine se dare debuit, qui hanc sententiam, *Ecclesia est Sanctorum sive prædestinatorum congregatio*, hæreseos condemnat. Est fortasse, qui cavilletur ex nostra doctrina idem sequi, propterea, quòd externam vocationem ab interna, & hanc ab illa separari posse diximus. Sed magna differentia est inter adversarii sententiam, & nostram. Ille enim totam Ecclesiam hoc *solo externo existendi modo* definiri posse contendit: nos verò Ecclesiam militantem utraq; vocatione constare, & sine interna prorsus esse non posse asserimus. Addimus vocationes istas non quò ad totam Ecclesiam, sed quò ad singulares homines, qui sunt in ea, separari. Vt manifestum sit nostra sententia esse bonos & malos simul in Ecclesia externa sensibili, adversarii verò, malos tantùm. Ne quis autem dicat & Bellarminum voluisse homines verè regeneratos, qui sunt viva Christi membra, etiam ad hanc, quam definit, Ecclesiam, pertinere; Ob-

servandum est eum tribus modis illos prorsus excludere. Primum per particulam exclusivam *solùm*. *Definitio*, inquit, *comprehendit solùm hunc ultimum modum existendi in Ecclesia.* Ex quo sequitur eum alios existendi modos à definitione sua planè separare. Deinde dicit eos, qui ad hanc definitionem pertinent, *nullam habere internam virtutē*, & addit eos *non aliter esse in Ecclesia, atque sunt mali humores in corpore humano*, quod arguit eum sibi non constare, aut verè regeneratis in sua Ecclesia nullum locum relinquere. Habent enim hi, ut jam dictum est, multas internas virtutes, & sunt viva corporis Christi membra, quod de malis humoribus dici nullo modo potest. Ad hæc, definitio, (disputo ex hypothesi) continet quidditatem Ecclesiæ, pertinet igitur ad eam cuicunque hæc definitio congruit. Ac proindè quicunque Christianam fidem profitetur, eadémq; sacramenta usurpat, & papæ subjectus est, is est vera pars Ecclesiæ Christianæ. Sed ipse papa fidem Christianam (loquor rursus ex hypothesi) confitetur, eademq; sacramenta usurpat, & tamen se anima & corpore devovit Satanæ. Platina in Sylvestro secundo, *Pontificatum adjuvante Diabolo consecutus est, hac tamen lege ut post mortem totus illius esset, cujus fraudib. tantam dignitatem adeptus erat.* Potest igitur Ecclesiæ, & per consequens verum Christi membrum esse, qui est juratus Christi hostis, & est verum membrum Diaboli. Adde

cæteros

cæteros papæ asseclas eodem modo ad Ecclesiam à Bellarmino definitam pertinere posse, imò debere. Omnes enim qui ad eam pertinent, sunt membra papæ, neque possunt aliter, quàm ipse papa, qui illorum caput est, in Ecclesia esse. Nullam igitur facimus Bellarmino injuriam, cũ dicimus eum non Christi, sed malignantium Ecclesiam definire voluisse.

LIBER SECVNDVS

CAPUT PRIMUM.

De non baptizatis.

QVAM variè Ecclesia accipiatur, & quid nomen significet, docuimus libro superiore, sequitur ut inquiramus, quinam ad unam hanc sanctam & Catholicam Ecclesiam pertineant, explicabimus autem adversarii sententiam priusquam explicemus nostram.

Is primo loco disputat de non baptizatis, & dicit, *eos omnes foris*, hoc est, *extra Ecclesiam esse.* Scilicet extra eam Ecclesiam, quam ipse definivit, & quam paulò antè diximus non Christi sed malignantium Ecclesiam dici posse. Si verò quis ad Catholicam Christi Ecclesiam, quã in Symbolo credimus, respexerit, distinguendi erunt non baptizati in eos, qui neque baptizati

sunt,

ſunt, neque baptizari cupiunt, & in eos qui quidem baptizati non ſunt, habent tamen vel habituri ſunt ſerium & ſincerum deſiderium baptiſmi. Illos reſpondemus ad Eccleſiam non pertinere. Hos verò ad eam pertinere affirmamus. Nam cùm hoc deſiderium actu habent, ſunt actu in Eccleſia electorum, & cùm illud potentiâ habent, ſunt potentiâ in eadem Eccleſia, actu etiam in illa futuri, ſimulatq; illud deſiderium ſunt actu habituri. De Catechumenis dicit majorem difficultatem eſſe. Quæritur autem, an Catechumeni ſint in Eccleſia? Adverſarius videtur negare, & nos aſſentimur, ſi Eccleſia tertio Bellarminiano modo accipitur; Catechumeni n. eorundẽ Sacramentorum communione cum cæteris non colliguntur. Quamdiu enim Catechumeni ſunt, ad Sacramenta non admittuntur. Loquor de Catechumenis ante Baptiſmum, qui ſcilicet adoleverunt, priuſquam ad Eccleſiam adjunguntur, non autem de iis, qui in Eccleſia naſcuntur, & in infantia baptizantur. Si verò ad eam Eccleſiam reſpicis, quam in Symbolo credimus, non ſimpliciter negamus, aut affirmamus eos ad Eccleſiam pertinere. Ille probat ſuam ſententiam aliquot argutiis, quas ordine expendemus.

Prima Actor. 2. 41. Qui ergò acceperunt verbum, baptizati ſunt, & additæ ſunt Eccleſiæ illo die quaſi ter mille animæ, q. d.

Hi ter mille homines per Baptiſmum additi

ſunt

sunt externæ, visibili & particulari Ecclesię Hierosolymitanæ. Ergò quicunque non est baptizatus, ille nec actu, nec propriè est in Catholica Ecclesia.

Hoc argumentum nihil facit ad rem. Ecclesia enim Hierosolymitana, cujus viva membra erant Petrus, Apostoli, & alii sancti homines, non est Ecclesia tertio Bellarminiano modo sic dicta. Non enim Petrus, & Apostoli solo ultimo existendi modo, quēadmodū mali humores sunt in corpore humano, fuerunt in ista Ecclesia; sed primo & secundo modo, anima scilicet & corpore, hoc est, Spiritus vinculo, & doctrinæ sacramentorúmque communione in illa fuerunt. Hanc igitur Ecclesiam tertio Bellarminiano modo sic dictam relinquentes dicimus eos Catechumenos neque simpliciter esse, vel non esse in ea Ecclesia, quam in symbolo profitemur, & credimus. Non enim si illi & baptizati, & Ecclesiæ adjuncti sunt, actu & propriè extra Ecclesiam sunt, quicunque baptizati non sunt. Fieri enim potest, ut aliquis uno & eodem tempore, & verbū recipiat, & simul baptizetur; potest etiam fieri, ut aliquis & verbum Dei recipiat, & aliquantulum pòst baptizetur. Prioris generis sunt hi, de quibus loquitur Lucas; una enim Petri Concione moti & verbum receperunt, & se ad Baptismum obtulerunt. Posterioris generis sunt illi, qui postquam verbo crediderunt, propter aliquam causam baptismum differunt, ut Ambrosius,

ſius,ut Valentinianus, ut Catechumeni omnes. Inter hos autem hæc differentia eſt, quòd illi ſimulatque in Eccleſiam ingrediuntur, baptizantur. Hi verò non eodem tempore baptizantur, quo in eam ingrediuntur. Audiunt enim verbum Dei, recipiunt idipſum, credunt Euangelio, Eccleſiæ præfectis obedientiam promittunt & præſtant, & non tantùm in Chriſtum credunt, ſed eum etiam cùm neceſſe eſt, ore confitentur, & confeſsionem iſtam ſuo ſanguine obſignant. Deinde verò ſæpe longo tempore poſt conſignantur baptiſmo. Vnius Ambroſii hiſtoria hoc luculenter docebit. Hic enim etſi in via Domini ad miraculum uſq; inſtructus eſſet, Baptiſmum tamen diſtulit, & nondum baptizatus à populo Mediolanenſi ad Epiſcopatum vocatus eſt; Socrates, l.4.c.25. Idem accidit Nectario ſeni, Solomenus lib. 7.c. 8. Quis verò rectè dixerit, eum actu & propriè extra Eccleſiam eſſe, qui ad Eccleſiaſticos conventus accedit, verbum Dei ſincera fide recipit, eique credit, & vitam ſuam juxta ejus normam inſtituit, qui publicas preces participat, præfectis Eccleſiæ obedit ac obtemperat, & ut uno verbo dicam, qui in Eccleſia ita ſe gerit, ut ab ipſa Eccleſia omnium conſenſu ad Epiſcopatum vocetur? Quid ego de Martyribus dicam? qui maluerunt Chriſtum confitendo hanc vitam finire, quàm eum negando ad ejus baptiſmum pervenire, cùm nollent abnegare Chriſtum, antequam baptizarentur, occiſi

ſunt,

ſunt, quibus ipſa paſsio pro baptiſmo deputata eſt? Num affirmabis hos actu & propriè extra Eccleſiam eſſe? At inquies per baptiſmum tamen nos ingredi in Eccleſiam. Reſpondeo, Baptiſmum non eſſe ipſum ingreſſum in Eccleſiam, ſed ejus ſacramentum, ſive obſignationem. Poteſt autem fieri, ut aliquis in Eccleſiam ingrediatur, & ut ſimul ingreſſus ipſi obſignetur: poteſt etiam fieri, ut ejus obſignatio ad aliquod tempus differatur. Baptiſmus igitur non eſt ipſe ingreſſus, ſed per metonymiam ita dicitur, nam ſigno tribuitur, quod eſt ſignati. Hoc ſic eſſe docet ipſe Adverſarius capite quarto lib. 3. de Eccleſia, *neque Baptiſmus unit nos cum capite, ſed eſt iſtius unionis ſignum*, ut autem nos unit cum capite, ita etiam nos unit cum Eccleſia.

Secunda ratio. Quia Concilium Florentinum in inſtructione Armeniorum, docet homines *fieri membra Chriſti, ac de Corpore Eccleſiæ, cùm baptizantur.* quaſi dicat.

Cùm homines baptizantur tum fiunt membra Chriſti, & de corpore Eccleſiæ. Ergò qui baptizatus non eſt, ille neq; membrum Chriſti, neque de corpore Eccleſiæ eſt.

Hæc conſequentia vel ſecum pugnat, vel non facit ad rem. Nam eſſe membrum Chriſti, & eſſe de corpore Eccleſiæ, vel ſumuntur pro eodem, vel pro diverſo. Si pro eodem, tum Eccleſia ſumitur pro iſta univerſali, in qua ſunt omnes electi, & extra quam ſunt omnes

reprobi,

reprobi, at tum ad rem non facit. Adversarius enim recepit se disputaturum de Ecclesia tertio modo accepta, & de hoc solo existendi modo in illa; si pro diverso, tum inter se pugnant. Potest enim quis esse membrum Christi, & non esse hoc ultimo existendi modo de corpore Ecclesiæ, ut, Paulus postquam esset conversus, & nondum ab Anania baptizatus. & contrà, potest quis esse hoc ultimo existendi modo de corpore Ecclesiæ, & tamen non esse membrum Christi, ut Simon Magus. Quin si quis verbis Adversarii inhærebit, dicet eum, qui hoc solo ultimo existendi modo est in Ecclesia, & qui nullam habet internam virtutem, neque aliter est in Ecclesia, quã malus humor in corpore humano, nullo modo esse aut esse posse membrum Christi, quàmdiu talis est, eoque solo existendi modo in Ecclesia est. Malus enim humor nunquam est, neque esse potest membrum humani corporis. Deinde est falsa. Non enim omnes homines fiunt reipsa membra Christi, cùm baptizantur. Simon enim Magus fuit baptizatus, & tamen numq̃ fuit reipsa membrum Christi. Et contrà, Cornelius reipsa erat membrum Christi priusquam baptizaretur. anteq̃ enim à Petro baptizaretur, accipiebat Spiritum Sanctum. Argumẽto etiam precedente ostẽdimus, quosdam non baptizatos, de corpore Ecclesiæ esse posse, & simul explicuimus, quomodo intelligi debeat, quòd per baptismum Ecclesiam ingredi dicamur.

Tertia.

Tertia. Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum dicit, *Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismum.* Sed hoc dictum pugnat cum Sacra Scriptura, & cum ipso Adversario. Cū scriptura; Cornelius enim vocatur pius ac timens Deum, cùm nondum esset baptizatus, Actor. 10. vers. 2. Sed qui est pius & Deum timet, ille ultra vestibulum pietatis progressus est. Cum Adversario; Hoc enim eodem capite dicit *Catechumenos* esse *fideles, & salvari*, si moriantur in eo statu. Capite præcedente docuit *Catechumenos si fidem & charitatem habent, esse de anima Ecclesiæ.* Sed qui fidelis est, quique fidem habet atque charitatem, & qui salvari potest, ille utique fidelis vocari potest, & jam intra Ecclesiam ingressus est. Extra Ecclesiam enim non est salus.

Quarta. Chrysostomus hom. 24. in Iohan. dicit *Catechumenum alienum esse à fideli, & nihil habere* cōmune *cum eo, non civitatem, non mensā.* Hæc sententia Chrysostomi duriuscula est. Iam antè enim docui, eum & fidelem esse, & salvari posse, & multa cum cæteris fidelib. cōmunia habere. Quòd autem ad mensam domini attinet, fateor Catechumenis non licuisse ad eam accedere. Sed hinc nō sequitur eos ad Ecclesiæ societatem prorsus non pertinere, quin si salvari possunt, habent illud, quod nobis sacra cœna obsignatur, sine eius enim communione nemo sal-

vari potest. Hæreticis, quos Tertullianus arguit, quòd inter Catechumenos & fideles non distinguerent, nos non patrocinamur, libenter enim concedimus inter eos aliquam differentiam esse, etsi utrosque ad Catholicæ Ecclesiæ societatem pertinere asseveremus.

Cyrillum lib. 12. cap. 50. in Iohannem, dicentem hoc apud *nos esse Catechumenos, quod apud Iudæos erant incircumcisi* non improbamus; sed quemadmodum quidam incircumcisi, ut proselyti, non edebant agnum pascalem, & tamen secundũ quid ad Ecclesiam pertinebant; ita quidam Catechumeni, etsi ad mensam Domini non admittuntur; tamen ex Ecclesia Catholica prorsus excludi non possunt. Quin & Augustinum tractatu 4. in Iohannem *inter Catechumenos & fideles distinguentem* libenter amplectimur. Etsi enim magna inter eos differentia est, tamen in Ecclesia Catholica simul includi possunt.

Postremò dicit Catechumenos neque ad ulla sacramenta, neque ad alia, quæ sunt universæ Ecclesiæ communia, ullum jus habere.

Respondeo hoc intelligi debere, vel de bonis externis, vel de bonis internis: si de internis, tum est falsum, quidam enim Catechumeni habent fidem & charitatem, & salvi fiunt, ut ipse Adversarius confitetur. Si de bonis externis, tum etiam est falsum: Licet enim Catechumenis audire verbum Dei, interesse sacris concionibus & precibus, habent jus percipiendi baptismum,

tismum,& cum aqua baptizari prohibentur, sæpè proprio suo sanguine baptizati sunt, ut manifestum sit multa interna, multa etiam externa bona, quæ universæ Ecclesiæ communia sunt, ad eos pertinere.

CAPUT II.

Quosdam non baptizatos pertinere ad Ecclesiam.

SUperiore capite refutavimus argumēta, quib. voluit ostēdere non baptizatos neq; actu neque propriè pertinere ad Ecclesiā, sequitur ut ostendamus, quænam sit orthodoxorū de hac re sententia. Fatemur omnes homines posse distribui in baptizatos & non baptizatos. De baptizatis agemus deinde, nunc de non baptizatis. Hi sunt vel infātes vel adulti: Infātes, qui non baptizati moriūtur, vel nascūtur in Ecclesia, vel extra eam. Qui extra Ecclesiā nascūtur, neq; in fœdere Dei comprehēsi sunt, neq; promissionē habent. Qui verò in Ecclesia nati sunt, de illis benè speramus. De iis enim dicit Christus, *Talium est regnū cœlorum.* Matth. 19. 13. De iisdem dicit Petrus act. 2. 39. *Vobis & liberis vestris facta est promissio.* De iisdem dicit Deus, *ego ero Deus tuus, & Deus seminis tui,* Gen. 17. Adulti non baptizati, vel sunt isti, qui neque baptizati sunt, neque umquam baptismum expetent; vel qui nunc quidem non sunt baptizati, paulopost tamen bap-

Infantes qui sunt extra Ecclesiam, nō sunt in fœdere.

Infantes in Ecclesia sūt in fœdere.

Adulti nō baptizati sunt baptizandi, vel non sunt.

Hi nō pertinent ad Ecclesiam. ptismū expetituri sunt. Illos pronunciamus ad Ecclesiam non pertinere. Hi verò vel suum desiderium legitimis Ecclesiæ ministris patefaciunt, & vivunt aliquamdiu in Ecclesiæ societate; *Illi pertinent ad Ecclesiam.* vel tempore exclusi non possunt legitimis Ecclesiæ pastorib. suum desiderium patefacere. Superioris generis exēpla sunt; Valentinianus, Ambrosius, multi martyres catechumeni; Hi verbum Dei frequenter audiunt, precibus Ecclesiasticis intersunt, pastoribus Ecclesiæ obedientiam præstant, credunt in Christum, suam fidem vera resipiscentia confirmant, tenent integram fidem & Ecclesiæ unitatem. *Quidam non baptizati, actu & propriè ad Ecclesiam pertinent.* Hos actu & propriè, ad internam, & ad externam Ecclesiam pertinere asserimus, & ita judicavit antiquitas. Cyprian. epist. 73. ad Iubajanum. *Sciant Catechumenos illos primò integram fidem &* ECCLESIÆ VNITATEM *tenere, & ad debellandum Diabolum de divinis castris cum plena & sincera Dei Patris & Spiritus Sancti cognitione procedere, deinde nec privari baptismatis sacramento, utpotè qui baptizentur gloriosissimo, & maximo sanguinis sacramento, sanguine autem baptizatos, et passione sanctificatos consummari, & divinæ pollicitationis gratiam consequi in Euangelio declarat Dominus.* Aug. contra Donatist. l. 4. c. 21. *Non dubito Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantē hæretico baptizato anteponere; sed etiam* IN IPSA INTUS CATHOLICA, *bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus.* Et,

Nec

Nec sacramento baptismatis facimus injuriam, cùm aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorem meliorémque cognoscimus. De civitate Dei, l. 13. c. 7. *Quicunque etiam non percepto regenerationis Lavacro, pro Christi confessione moriuntur; tantùm eis valet ad demittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Augustin. tract. 4. in Ioh. *fit aliquando ut videas Catechumenum abstinentem ab omni concubitu, valefacientem seculo, renunciantem omnibus quæ possidebat, distribuentem pauperibus, & Catechumenus est, instructus est etiam doctrina salutari supra multos fideles,* lib. 4. contra Donat. c. 21. *Melior est Cornelius Centurio nondum baptizatus Simone Mago baptizato, iste enim & ante baptismum repletus fuit Spiritu Sancto, ille & post baptismum immundo Spiritu inflatus.* Ambrosius oratione de obitu Valentiniani, ferè idem docet. Quin & aliqua pars disciplinæ Ecclesiasticæ in Catechumenis consumebatur, ut ex concilio Arunciensi & aliis patet. Canus, *Catechumeni sunt* DE ECCLESIA, *quæ comprehendit omnes fideles, ab Abel usque ad mundi consummationem.* Bellarminus dicit *Catechumenos, esse fideles, & salvari posse, si moriantur in eo statu, & extra Ecclesiam neminem salvari.* De Ecclesi. militan. lib. 3. c. 13. Cùm igitur aliqui Catechumeni integram fidem & Ecclesiæ unitatem teneant, & Catechumenus interdum in ipsa intus Catholica sit baptizato anteferẽdus, deinde cùm sæpè in-

structus sit salutari doctrina supra multos fideles, & accipiat Spiritum Sanctum, et sit de ista Ecclesia, quæ est ab Abel usque ad Mundi consummationem, denique cùm & ipse fidelis sit, & disciplinæ Ecclesiasticæ obediat, postremò cùm salvus fiat, & extra Ecclesiam nulla salus sit, manifestum est, eum & ad externam, & ad internam Ecclesiam pertinere; quòd autem Adversarius dicit, *eum potentia non actu* esse in Ecclesia ridiculum est. Confessio enim Christi, fides & salus non est nisi in Ecclesia, neque quisquam veram fidem habet, aut Christum rectè confitetur, aut salvus fieri potest, nisi qui actu & reipsa in Ecclesia est. Alii qui tempore exclusi non possunt Pastoribus Ecclesiæ suum desiderium patefacere, etsi non pertinent ad aliquam externam visibilem Ecclesiam, tamen pertinent ad illam internam & invisibilem, quæ est omnium fidelium ab Abel usque ad mundi consummationem. August. lib. 4. contra Donatistas cap. 22. *Invenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et. *Quantum valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus, corde creditur ad iustitiam, ore autem fit Confessio ad salutem, in illo latrone declaratum est; sed tum impletur invisibiliter, cùm mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis*

An actu pertineant ad Ecclesiam.

sitatis

sitatis excludit. Quid multis moror? Christus ipse dicit Latroni, qui tamen propter temporis iniquitatem baptizari non potuit. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Lucas dicit de Cornelio, act. 10. quòd fuerit *pius ac timens Deum,* & quòd acceperit *Spiritum Sanctum,* cùm nondum esset baptizatus, unde apparet eum fuisse reipsa & actu membrum Christi, nemo enim fit cælestis regni particeps, neque Spiritum Sanctum accipit, nisi qui revera & actu Christi mẽbrum est. Non dubium igitur quin hi nondum baptizati, fuerint actu & propriè in Ecclesia. Nemo enim potest esse cum Christo in Cœlo, nisi fuerit cum eo in Ecclesia, neque usquam datur Spiritus Christi, quàm in Ecclesia.

CAPUT III.

De Hæreticis.

QVæritur an Hæretici sint de Ecclesia? Adversarius simpliciter negat eos de Ecclesia esse, quod quis fortè miretur. Potest enim hæreticus doctrinam Christi externa saltem professione profiteri, eadem sacramenta usurpare, & Papæ Romano subjectus esse. Qui igitur posit prorsus ex Ecclesia à Bellarmino definita excludi, ipse viderit. Nos dicimus utramque vocem esse homonymam, ac propterea ad eam simpliciter responderi non posse. Ecclesia enim significat universam electorum congregationẽ,

An Hæretici sint de Ecclesia.

Ecclesia vox æquivoca.

& quemlibet particularem cœtum ad Christi communionem convocatum. Hæreticus item significat hominem universa fundamenta fidei pervertentem, & significat eum, qui quædam in fide pervertit. Ex iis quidam adhuc in visibilibus cœtibus versantur, quidam ab iis secessionẽ fecerunt, quidam etiam ex iis legitimo judicio ejecti sunt. Et rursus quidam sive illi in Ecclesia adhuc versentur, sive extra eam agant, convicti sunt erroris, quidam nondum convicti sunt; ex illis quidam pertinaciter in demonstrato errore perseverant; quidam profitẽtur se meliora secuturos esse, si possint ullius erroris convinci; quidam etiam revera auxilio Spiritus Sancti ad Deum convertuntur, ut manifestum sit, quosdam Hæreticos esse adhuc in Ecclesia visibili; quosdam etiam esse in Ecclesia electorum, & vice versa, aliquos non esse in Ecclesia visibili, aliquos etiam non esse in Ecclesia electorũ. Si hæc Adversarius expendisset, fortasse non tam temerè de hac quæstione pronunciasset. His præmissis facilè fuerit ad Adversarii argumẽta respondere.

Hæreticus vox æquivoca.

Argumẽta, quibus probat Hæreticos non esse in Ecclesia.

1. Argum. Primùm ex 1. Timoth. 1. 19. Nonnulli *fidei naufragium fecerunt.*

Secũdum. Secundum ex Luc. 5. 6. *dirumpebatur rete eorũ.*

Respondeo, omnes hæreticos esse extra Ecclesiam, ex adductis locis probari non posse. Loquitur enim Apostolus non de omnibus, sed de iis, qui conscientiam repulerunt, & qui fidei naufragium fecerunt, sed hæc de iis, qui neque con-

victi

victi sunt, neque salutis fundamenta evertunt, neque pertinaciæ signa ostenderunt, & converti possunt, intelligi nequeunt. Nonnulli enim errant quidem, sed ea fundamenta fidei, quæ salutem continent, non evertunt; alii habent quidem conscientiam errantem, sed eam tamen nōdum repulerunt; alii nondum convicti sunt, & sunt parati meliora sequi, si convicantur, quandoq; etiam hæresibus abjectis meliora sequuntur. Hæc eadem ad secundum locum responderi possunt, quibus addo totum locum esse allegoriam, quam nihil probare demonstravimus, cùm de principiis Christianorum dogmatum disputaremus.

Tertium ex ad Titum. 3. 10. *Hæreticum hominem post unam et alteram admonitionem rejice: sciens quòd eversus est, qui ejusmodi est, & peccet, ut qui suopte iudicio sit condemnatus.* *Tertium.*

Respondeo, hoc de quolibet Hæretico intelligi non posse. Tantùm enim dicit Apóstolus eum Hæreticum vitādum esse, qui eversus est, & quem nos sciamus eversum esse. Sed non omnis Hæreticus eversus est, neque nos certò scimus omnes eversos esse, imò non semper certò scimus, quisnam eversus sit. Nonnulli enim errant, sed non in iis, quæ concernunt fundamentum salutis: quidam etiam parati sunt meliora sequi si edocentur, quidam etiam revera convertuntur, & abjectis erroribus sequuntur veritatem.

Quartum 1. Ioh. 2. 19. *Ex nobis egressi sunt,* *Quartū.*

sed non erant ex nobis.

Sed neque hoc de omnibus Hæreticis accipi potest. Non enim semper omnes Hæretici egressi sunt. Eutyches enim & Arrius non egrediebantur, sed manebant in Ecclesia, donec ejicerentur, quidam etiam egressi sunt, sed cùm meliora docētur, revertūtur, ut Augustinus. Et multi alii, quos nemo rectè dixerit non fuisse ex nobis. illud n. *ex nobis*, non tantùm de cōjunctione, quæ actu est; sed etiam de illa, quæ divina electione fit, accipi potest.

A Conciliorum auctoritate. 1. Secundò probatur hoc idem ex cap. octavo & decimonono concilii Niceni, ubi Hæretici dicuntur posse *recipi in Ecclesiam, si redire velint, cum certis tamen conditionibus.*

Sed hoc intelligendum est de iis, qui seipsos separarunt, vel publico legitimóque judicio ejecti sunt. Cæteris verò, qui nondū detecti sunt, & adhuc in Ecclesia tolerantur, accommodari nequit.

2. Item ex concilio Lateranensi, C. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, ubi Ecclesia dicitur *fidelium congregatio.* Constat enim Hæreticos nullo modo esse fideles.

Hæc assertio est nimis generalis, quidam enim Hæretici, fundamentum non evertunt, & suo tempore ad fidei unitatem convertuntur, exemplo est Augustinus, & alii, hos saltem secundum æternam electionem fuisse fideles, ipse, opinor, Adversarius non negaverit.

Tertiò

Tertiò ex Patribus, Irenæus lib. 3.c.3. Dicit Polycarpum *multos Hæreticos ad Ecclesiam convertisse*, ex quo sequitur eos anteà fuisse de Ecclesia egressos. *A patrum auctoritate.*

Dicitur & ille ad Deum converti, qui primùm ad Ecclesiam adjungitur, aliud enim est converti, aliud reverti, ut non sit necesse eos antè ex Ecclesia egressos fuisse.

Tertullianus lib.2. De præscriptione dicit, Marcionem, cùm ad Ecclesiam redire vellet, cōditionem accepisse ut cæteros, quos perverterat, Ecclesiæ restitueret.

Marcionem fuisse ex Ecclesia egressum non negamus, sed hoc de omnibus Hæreticis dici non potest, quidam enim neque in fundamento errant, neque ex Ecclesia egresi sunt, quidam etiam ab Ecclesia separati, ad eam per gratiam Dei revertuntur.

Cyprianus epistola ad Iubajanum, dicit Hæreticos cùm sint extra Ecclesiam, tamen vendicare sibi Ecclesiæ authoritatem, more simiarum, quæ cùm homines non sint, tamen homines videri volunt.

Vt Cyprianus non dicit omnes Hæreticos esse extra Ecclesiam: ita nos non negamus quosdam esse extra Ecclesiam, & sibi falsò arrogare, nomen Ecclesiæ, sed quid hoc ad rem?

Hieronymus dialogo contra Luciferianos *sicubi audieris*, inquit, *eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari,*

pari, utpote Marcionistas, Valentinianos, Montenses, sive Campenses; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi, synagogam esse.

Marcionistæ, Valentiniani & similes, se ab Ecclesia separaverant, & legitimo Ecclesiæ judicio ejecti erant, subvertebant enim fundamenta salutis. Quidam tamen eorum, ad Ecclesiam reversi, & in eadem mortui sunt, ut Metrodorus, & alii. Hos secundum æternam electionem eo tempore, cùm à visibili Ecclesia separati erant, in universali electorum Ecclesia fuisse, ipse, opinor, Adversarius non negaverit. Illustre exemplum habemus in Paulo, nam cùm esset hæresi Pharisæus, & non tantùm ab Ecclesia separatus, sed etiam persecutor ejus, dicit de eo Dominus, Act. 4. 15. *Instrumentum electum est mihi, ut proferat nomen meum coram gentibus.*

Iis, quos Hieronymus tam graviter notat, non inepte quis addiderit eos, qui prætérito Iesu Christo, dicunt ad Franciscum: *Francisce Iesu typice, dux & norma minorum. Da nobis perpetua gaudia regni Cœlorum*; qui, dico abjecta doctrina Christi, jurant in regulam Francisci, & propterea ab eo vocantur Franciscani.

Augustinus lib. 4. c. 10. Contra Donatistas, dicit, interdum accidere, *ut Hæreticus foris existens non agat contra Ecclesiam, & Catholicus intra existens, contra Ecclesiam agat. &c.* Et lib. de unitate Eccles. cap. 4. *Qui non credunt,* inquit, *Christum in Carne venisse, de virgine Maria, ex*

semine

semine David, aut in Corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus & sepultus est, non utique sunt in Ecclesia.

Atqui nos non negamus cum Augustino aliquem Hæreticum foris existere, sed addimus multos occultos Hæreticos in Ecclesia esse, & in eadem latere posse donec ejiciantur, quod & ipse Bellarminus asserit lib. 4. c. 10, de Ecclesia. Addimus eos, qui negant Christũ in carne venisse, si in tali errore perseverant, non esse in universali Ecclesia electorum, & tamen ad tempus posse esse in visibili particulari.

Postremò *Ecclesia est multitudo unita, & ista unio præcipuè in professione unius fidei, & earundem legum, ac rituum observatione consistit*, nulla igitur ratio permittit, ut eos de Ecclesiæ corpore esse dicamus, qui cum ea nullam omninò conjunctionem habent. *A ratione.*

Atqui occulti Hæretici, quamdiu in Ecclesia latent, sæpè effugiunt necessitatem confitendi, quandoque etiam profitentur, sed simulatè, & tenent externam rituum, legúmque Ecclesiasticarum observationem, ac propterea ab aliis non nunquam distingui nequeunt. Sed hoc vinculum est externum. Aliud vinculum est internum, nempè communio Spiritus Sancti, hanc, Hæretici in fundamento errantes, si in errore perseverant, neq; habent, neque habere possunt. Tales igitur possunt esse in externa particulari Ecclesia, in interna universali esse non possunt;

sunt

sunt item alii in eodem fundamento errantes, & ab Ecclesia vel occulto motu, vel legitimo judicio ejecti, horum aliqui agunt pœnitentiam, ad Ecclesiam revertuntur, & in vera fide tandem moriuntur, hi quà externam societatem, non sunt in Ecclesia, qua verò æternam Dei electionem, sunt in Ecclesia electorum.

Argumenta, quibus probat Hæreticos non simpliciter esse extra Ecclesiam. 1. & 2.

Dicit deinde quosdam ex parabola de *Zizaniis*, quæ est Matth. 13. & ex illa, quæ est de *vasis aureis, argenteis, & lingneis in magna domo*, in 2. ad Tim. 2. probare velle Hæreticos esse in Ecclesia, quæ argumenta nos non omninò rejicimus, sed ajimus esse alia fortiora. Per Zizania enim & vasa lignea intelliguntur reprobi omnes, inter quos aliquos esse Hæreticos, ipse Adversarius non negaverit. Sed non volo de iis duobus argumentis admodum contendere.

Tertium Argumentum. Hæreticos Ecclesiâ judicare & punire potest. Ergò sunt intus. Nam *quid mihi est*, inquit Paulus 1. Cor. 5. *de iis, qui foris sunt, judicare?*

Ecclesia nõ judicat extraneis

Adversarius excipit, Hæreticos, licet non sint de Ecclesia, tamen esse debere. Sed hoc non solvit nodum, Apostolus enim non dicit eos vel esse, vel esse debere in Ecclesia, quos Ecclesia judicat. sed simpliciter dicit, Ecclesiæ non esse judicare de iis, qui foris sunt. Vnde necessariò sequitur, ejus esse judicare tantùm de iis, qui intus sunt, quin utrumq; dicit Apostolus. vers. 12. *quid mea interest etiam de extraneo judicare, nonne de*

tis de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Deinde omnes mortales debebant de Ecclesia esse; Num propterea Ecclesia de omnibus mortalibus judicat? Exemplum de Pastore & ove aberrante nihil probat. Docet enim Paulus Titum cap. 3. v. 10. ut *Hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem rejiciat.* Sed nusquam docet ut Pastor ovem aberrantem rejiciat. Equidem quamdiu à Tito Hæreticus admonetur, pertinet ad Ecclesiam, & cùm rejicitur, tum primùm extra Ecclesiam esse censetur. Alterum exemplum de milite transfuga est magis dissimile. Imperator enim in militem transfugam (si in ejus potestatem redierit) habet vitæ & necis potestatem. Hanc Episcopus in hominem Hæreticum non habet. Causa hujus rei est, quòd miles se sacramento obligavit Imperatori; Christiãus verò se sacramẽto nõ obligavit Episcopo. Non enim Episcopus, sed Christus ejus Imperator est. Hanc ob causam Paulus extraneorum (inter quos Hæreticus rejectus est) judicium Deo tribuit. 1. Cor. 5. 13. *De extraneis Deus judicat.* Adde militem transfugam sæpè non redire in Imperatoris potestatem, ac proinde Imperatorem non posse nisi jocularium judicium de eo instituere, multò minus posse, eum vi ad sua castra cogere, aut suspendere. Et si maximè posset, tamen inde non sequeretur Episcopũ posse eum, quem jurène an injuria pro Hæretico habet, suspendere. Hic enim illi, quemadmodum miles

Simile de milite transfuga.

miles Imperatori, ut antè ostensum est, sacramento obligatus non est. Legat nobis Bellarminus ex toto novo testamento, vel Christum, vel Apostolus quenquam ob hæresim suspendisse. Legat item ex veteri testamento, vel, Mosen vel Prophetas, quenquam (blasphemos, & eos qui Iudæos ad alienos Deos pelliciebant excipio) ob hæresim occidisse. Equidem quos vos pro Hæreticis habetis, & cum quibus contenditis, nullius blasphemiæ argui possunt, neque ducunt

Protestātes non sunt Hæretici, quemquam ad Deum alienũ, sed eundem Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, prout eum Prophetæ & Apostoli tradiderunt, cum primitiva Ecclesia adorant; veteres Hæreses ab Ecclesia rectè damnatas execrantur, sentiunt & loquuntur cum sacris litteris, recipiunt symbolum Apostolicum, Nicenum, Athanasianum & Chalcedonense, recipiunt item determinationes Ephesenas, videritis igitur, quid sitis Iesu Christo in futuro Iudicio responsuri, quòd eos sæpè non auditos, nedum convictos, ad restim, ad gladios, ad furcam, ad ignem abripitis, & totum orbem terrarum, humano sanguine fœdatis.

4. Suspicio de Impressione characteris, non scio an à quoquam nostrum sit usurpata, certè nihil valet, nisi fortè ex hypothesi. Ipse enim Caietanus part. 3. q. 36. & 1. in summam Thomæ, ingenuè confitetur, doctrinam de *Characteris* impressione *esse humanæ & recentis traditionis.*

5 His igitur missis, inquit Paulus, *Oportet inter*

vos

vos hæreses esse. 1. Cor. 11. 14. *inter vos.* hoc est, inter eos, qui sunt in Ecclesia. Verùm si inter eos sunt hæreses, tum inter eosdem hæreticos esse necesse est. Atq; hi tam diu manent in Ecclesia, dum vel seipsos proprio judicio separant, vel per legitimū Ecclesiæ judiciū ejjciuntur. Arrius non prius Antiochenæ Ecclesiæ præsbyter esse desiit, quàm Dei judicio occideretur. Eutyches egit monachum dum publico ecclesiæ judicio damnaretur. Vigilius, Felix, Honorius non prius desierunt esse papæ, quàm Ecclesiæ judicio deponerētur. Quin quandoquè accidit, ut quis hæresin celet, ne publicè argui, nedum damnari possit. Quam ob causam ipse Bellarminus lib. 3. de Ecclesia c. 10. dicit *occultos hæreticos non tantùm in Ecclesia latere; sed etiam habere jurisdictionem.* Adde ludicia Ecclesiastica rite excerceri contra hæreticos, quod satis arguit eos Ecclesiasticæ censuræ subesse, ac poinde in Ecclesia esse.

Arrius. ***Eutyches.*** ***Vigilius, Felix, Honorius*** ***Bellarminus contra dicit sibi.***

CAPUT IIII.

An & quatenus schismatici sint in Ecclesia?

DE schismaticis est paulò difficilior quæstio. Adversarius pronuntiat omnes schismaticos esse extra Ecclesiam, & definit eos esse schismaticos, *qui non volūt subesse Papæ Romano.* Vtrūque nobis excutiendum est, Quod igitur ad primum attinet, dicimus inter particulares personas & integros cætus: deinde inter integros

cætus & eorum ductores distinguendum esse. Aliter enim se res habet, cùm singularis homo, se ab Ecclesiæ societate separat, & item aliter, cùm integer cætus adhærens suo Episcopo, ab aliis cætibus, qui item suis Episcopis adhærent, avellitur. Superioris generis est Marcion, qui, ut

Marcion,

est apud Epiphaniũ, hæres. 42. ἐγὼ σχίσω (inquit) τὴν Ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα scindam inquit Ecclesiam vestram, & mittam schisma in eam, in æternum. Hic revera fuit schismaticus. Dicit enim Epiphanius, quòd seipsum sciderit non Ecclesiam. οὐ τὴν Ἐκκλησίαν σχίσας ἀλλὰ ἑαυτὸν, lego ἑαυτὸν, καὶ τοὺς αὐτῷ πειθέντας. Quando verò integri cætus adhærentes suis pastoribus à se mutuò avelluntur, non ausim pronuntiare, eos protinus schismaticos esse. Exemplum hujus rei habemus in Ecclesia Romana & Asiatica. Vi-

Victor Romanus.

ctor Romanus Episcopus, ut est apud Eusebium lib. 5. cap. 23. *Totius Asiæ parœcias unà cum vicinis Ecclesiis tanquam aliena sentientes à communionis unitate* ἀποτέμνειν πειρᾶται, *abscindere conatur, ac cunctos illic fratres prorsus excommunicatos denuntiat.* Etsi igitur quorundam judicio, vel Romana vel Asiatica Ecclesia tũ fuerit schismatica, Non ausim tamen ego judicare, hanc vel illam schismaticã fuisse. Cæteri enim Europæi Episcopi, ut Irenæus, & alii, & cum Victore communionem colebant, & ab Asiaticorum communione non abstinebant, quod sanè non fecissent, si hanc vel illam schismaticam esse judicassent.

cassent. Deinde opinor inter ipsos cætus, & eorum ductores distingui debere. Sæpè enim accidit, ut Præsides Ecclesiarum se mutuis odiis prosequantur, ac se mutuò à communione arceant, & populus, aut multi in populo de istis rebus nihil intelligant. Ex antecedente exemplo hoc manifestum est. Etsi enim Victor obfirmato odio persequebatur Asiaticos, eosque habebat pro schismaticis, neq; cum illis ullam societatem colere volebat, tamen cæteri disertè dicebant, *se nihilominus cum iis pacem colere velle*, ut est apud Euseb. lib. 5. c. 23. Adhæc nō protinus schismatici dici debēt, qui vel ob alicujus ritus differentiam, vel ob alicujus dogmatis, quod salutem non attingit, dissonantiam, inter se dissident, etsi in utraque parte semper reperiantur, qui nihil nisi bella & arma sonent, atque ab omni mutua communione societateque abstinere contendant. Nam cùm Antipaparum alter Romæ, alter Avinionę ageret, & se mutuò à corporis unitate abscinderēt & execrarētur, neq; ullis mediis adduci possent, ut in gratiam redirent, tum quidem omnes Europeæ Ecclesiæ, hæ Romanum, illæ Avenionensem sequebantur, neque ulla particularis Ecclesia reperiebatur, quæ non hujus vel illius partes sectaretur. Neque tamen, opinor rectè dixeris, omnes Christianos eo tempore fuisse schismaticos. Eadem ratione non protinus schismaticus dici potest, qui vel aliqua ritus, vel dogmatis absurditate, vel pastorum injuria of-

Schisma Ecclesiæ Romanæ & Avinionēsis.

sensus, abstinet à publicis cætibus, qui iis locis, in quibus agit, celebrantur. Olim enim multi vel metu periculorum, vel odio hominum, vel privatorum studiorũ causa, se in solitudinem abdebant, seq; non tantùm ab Ecclesiarum frequentatione; sed ab omni hominum societate sejungebant. Quos tamen propterea nemo unquam schismatis accusavit, Quid ergò? illũ ego schismaticũ esse dixerim, qui destinata opera se ab Ecclesia, Christiq; societate avertit, ut Ecclesiam scindat, quemadmodum antè de Marcione docui. Qui verò propter aliam causam ab alicujus cætus societate abstinet, & tamen cum aliis cætibus veram doctrinam profitentibus, cumq; Christo societatem colere satagit, hũc ego schismaticum esse, dicere perhorresco.

Schismatici definitio examinatur

Quod alterum attinet, non tantùm falsa, sed etiam inepta schismatici definitio est, quam adversarius affert. An enim ille tibi scismaticus est, qui Papæ Romano subesse recusat? Ejus falsitatem docuimus cùm de Papa Romano disputaremus. Vanitas inde apparet, quòd illud quod nos improbamus & negamus, pro fundamento & definitione adducit. Quin Papa ipse schismaticus est. Eugenius enim à quo hic originem suã trahit, ab Oecumenico concilio schismatis condemnatus est. Deinde à Christo ejusque doctrina secessionem fecit. Sylvester enim secundus se anima & corpore devovit sathanæ. Auctor Platina in ejus vita & alii omnes historici;

Eugenius.

atque

atque ab hoc hic noster originem habet, à do- ctrina item ejus secessionem fecit. Christus e- nim docet presbyterum sive episcopum debere *esse unius Uxoris virũ*, & scortatores & adulteros Deum judicaturũ esse. Papa verò docet distin- ctione 34. cap. Qui, in rubrica, *eum præsbyterũ, qui non habet uxorem, concubinam habere debere.*

CAPUT V.

De Excommunicatis.

NUnc videbimus an excõmunicati sint ex- tra Ecclesiam. Adversarius pronuntiat ex- communicatos esse extra Ecclesiam. Si intelligit Ecclesiam à se antè definitam, fatendum est, ex- communicutos à papalibus Episcopis esse extra Ecclesiam. Nos verò quoniam istam definitio- nem improbamus, & Ecclesiam longè aliter de- finimus; neque simpliciter negamus, aut af- firmamus ejus sententiam. Distinguimus enim, excommunicatos in verè, & non verè excom- municatos, quidam enim jure, quidam verò non excommunicantur jure; distinguimus item in- ter Ecclesiam universalem, & particularem, il- lam dicimus esse numerum vel collectionem omnium salvãdorum, hanc verò dicimus quem- libet visibilem particularem cœtum in Christi nomine congregatum. His distinctionibus observatis, dicimus omnes rectè excommuni- catos quandoque ejici ex Ecclesia particulari &

An Excõmunicati sint de Ecclesia.

Excõmunicati quotuplices.

universali simul, quandoque ex particulari tantùm. Eos verò qui non rectè excommunicantur, ex universali numquam, interdum etiam ne quidem ex particulari visibili ejici affirmamus, utrumque, ut spero in progressu disputationis planum fiet. Hac distinctione observata non difficile fuerit ad subjectam quæstionem respondere. Sed quia adversario libet suam sententiam aliquot argutiis probare, eas refellemus, & deinde doctrinam veram explicabimus. Eius primum argumentum sumitur ex Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus*. Ergò, inquit Adversarius, qui quovis

Argumēta pro Negativa.

1. modo excommunicatus est, ille non est in Ecclesia. Sed hoc loco Christus loquitur de iis, qui jure excommunicantur, arguit hoc illa vox, *Si audire noluerit*. i. Si pertinaciter in suo delicto perseveraverit, & admonitionem omnem spreverit. Loqui hic eundem de Ecclesia particulari, arguunt hæc duo. Vnum. *si Ecclesiam non audierit*. In hoc mūdo enim non audimus, nisi particulares cætus, vel, ut apertè dicam, non audimus nisi Pastores in particularibus cætibus docentes. Alterum, *tibi*. Non enim potest mihi esse tamquam publicanus, nisi hic in terra adhuc in particulari cætu versanti, ut manifestum sit, hoc argumentum nihil facere ad rem. Nos enim disputamus de iis, qui sunt vel non sunt in Ecclesia universali. Adversarius verò disputat excommunicatos ejici ex Ecclesia particulari, de qua

de qua nos hoc loco non disputamus; deinde & alius error in hoc argumento latet. Christus enim docet eos, qui jure excommunicantur, debere nobis tanquam publicanos esse. Hinc adversarius infert omnes excommunicatos, juréne an injuria excommunicati sint, debere nobis esse tanquam ethnicos & publicanos. Quanto rectiùs Hieronymus in 16. cap. Matthæi? *Hunc locum Episcopi & præsbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisæorum assumunt supercilio, ut damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.*

Item ex 1. Cor. 5. *Cur non magis luctũ habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit?* Et infrà. *Nescitis quia modicum fermentũ totam massam corrũpit?* Item, *Auferte malum ex vobismetipsis.* Quibus omnibus verbis describit Apostolus, quid sit excõmunicari. Iubet enim excõmunicari eum, qui uxoré patris sui habuerat. 2.

Quasi in controversiam veniat, quid sit excõmunicari? vel an homo incestuosus excommunicari debeat? Ac non potiùs in controversiam veniat, an ille qui quovis modo excõmunicatus est, ab universali Ecclesia separetur! fatemur hunc hominem jure fuisse excõmunicatum, addimus eum per excõmunicationem fuisse à Corinthiaca Ecclesia ejectum, sed negamus eum per hanc excommunicationem ex universali salvandorum Ecclesia umquam separatum fuisse. Mansisse

enim eum in universali Ecclesia, probat ejus, quæ statim subsecuta est, resipiscentia.

Ex jure canonico. Secundo probatur ex jure canonico, 11. q. 3. c. canonica. *Canonica instituta, & sanctorum patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei, & judicio sancti spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius fraternitatis eliminamus.*

Non negamus Ecclesiarum violatores posse excommunicari, & per excõmunicationem ab Ecclesia particulari separari. Verùm si quis Ecclesiarum turbator infinitas Ecclesias à Christi communione abscindere conatur, nullam aliam ob causam, quàm ut tyrannidem in eas vel exerceat, vel stabiliat. An istæ Ecclesiæ propterea excommunicantur? Vel cùm homo superbus & luciferi spiritu inflatus hominem insontem, vel invidia, vel alia de causa excommunicet, an propterea extra Ecclesiam esse judicatur? Hoc verò pernegamus.

A patrum autoritate. Tertiò ex patribus. Euseb. l. 5. histor. Eccles. c. 24. narrans quemadmodum Victor papa excommunicaverat omnes Asiaticos, *Litteras*, inquit, *mittit, quibus omnes simul absque discretione ab ecclesiastico fœdere segregaret.* Et infrà, *Irenæus*, inquit, *Victorem arguit, quòd non rectè fecerit abscindere à corporis unitate tot ac tãtas Ecclesias Dei.*

Quos papa excom- Hoc exemplum adversarius potuisset omittere, omnibus enim temporibus valebit ad Romanam

manam Tyranidem & in alias Ecclesias dominandi libidinem demonstrandam. Deinde sufficit ad nostram sententiam probandam, Papa enim eas Ecclesias excommunicabat, neque tamen vel ab Europæis Episcopis pro excommunicatis habebantur. Irenæus enim non obstante hac excommunicatione Victoriana, cum Asiaticis communicabat, faciebant idem cæteri Europæi Episcopi, quod illis facere non licuisset, si hanc excommunicationem legitimam, & Asiaticos verè excōmunicatos esse judicasset. Quem enim una Ecclesia excommunicabat, ille ab aliis Ecclesiis secundum antiquos Canones pro excommunicato habebatur, neque cuiquam licebat excommunicatum ad communionem recipere, nisi consentiente illo Episcopo, à quo excommunicatus erat. Can. Apostolico quinto, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι. *qui ab alijs excommunicantur, ab alijs ad communionem non recipiantur.* Ipse Episcopus Romanus cōfitetur se non posse Marcionē ad communionem recipere, sine consensu patris ipsius, à quo excommunicatus erat, testis Epiphanius contra Marcion. Deinde Irenæus graviter reprehendit hanc Victoris perversitatem, eoq́ue vel consentiente vel invito cum Asiaticis communicat, neque quisquam legitur Irenęum propterea reprehendisse. Unde necessariò sequitur Asiaticos per hanc excommunicationem, ne quidem ab Europæis visibilibus cætibus resectos, neque

municavit, non habiti sunt pro excommunicatis.

Papæ tùm tantam, atque nunc est, potestatem fuisse. Ad cætera patrum dicta, respondeo nos non negare, quadam excommunicatione homines indicari à visibili externa, & universali interna Ecclesia separatos esse, neque hoc inter nos controversum est. Tantùm dicimus ineptè fieri, si quis ex positione unius speciei, de toto genere universaliter sumpto affirmare velit.

A ratione. Probatur ultimò ratione. Primò, Per excommunicationem privantur homines omni commercio spirituali, quod habent omnes homines Ecclesiæ inter se, ut docet Tertul. Apol. c. 34. igitur non sunt amplius in cætu Ecclesiæ.

Quod inter nos controversum est, hoc sumit pro principio suæ sententiæ. Quæritur enim an omnis excommunicatio nos separet à Deo ejusque communione, ille hoc dicit, nos negamus, ille probat suam sententiam, quòd omnis excommunicatio nos separat à commercio spirituali, sed hoc est idem quod illud prius. Probatur igitur idem per idem, vel petitur illud quod est in principio, intereà non negamus aliqua excommunicatione privari hominem omni commercio spirituali, omni verò excommunicatione id fieri pernegamus.

Quid enim, inquit, est civem aliquem privari civitate, nisi privari omni commercio, quod est inter homines illius civitatis?

Exemplũ civis relegati dissimile. Sed exemplum est dissimile. Potest enim Princeps aliquem finaliter ex sua civitate ejicere,

cere, Episcopus verò non potest. Causa hujus rei est, quòd Episcopus non est Princeps, sed servus Ecclesiæ. Ejus verò princeps est Deus. Finalis igitur hæc ejectio ad solum Deū pertinet. Deinde sunt certi gradus exauctorandi aliquem civem. Aliqui enim ad tempus relegantur, & hoc tēpore exacto, habent jus revertendi in urbem. Hos non perdere omne commercium quod cives inter se habent, manifestum est. Aliqui relegantur quidem sine spe restitutionis, & tamen jus civitatis retinent. Exemplo est Ovidius, qui subinde dicit in exilio, Se adhuc esse civem Romanum, neque Cæsarem voluisse, ut civis nomen amitteret. Aliqui deportantur in insulam, & planè eximuntur numero civium. Hos perdere omne commercium, quod cives inter se habent, non negamus: sed negamus omnem excommunicationem esse huic ultimæ (quam deportationem vocant) similem. Quidam n. ad tempus à Cæna & sacris mysteriis arcentur. Hos non prorsus privari omni spirituali commercio, quod cives Ecclesiæ inter se habent extra dubium ponimus. Alii excommunicantur quidem & per censuram ab Ecclesiæ corpore externo separantur, ut incestuosus Corinthiacus; sed quia resipiscūt, & ab Ecclesia, ex qua ejecti erant, recipiuntur, non rectè dicuntur omni spirituali commercio privari. Quidam etiam injustè excommunicantur, quod Irenæus testatur Asiaticis accidisse, equidem

Episcopus an possit finaliter ex Ecclesia ejicere.

Gradus censuræ Ecclesiast.

equidem hos posteriores dicit ipse Bellarminus *salvos fieri posse, & anima desiderióque in Ecclesia esse*. Verùm qui salutis participes fiunt, quique anima & desiderio in Ecclesia sunt, illos non perdere omne spirituale commercium extra controversiam ponimus. Alii denique finaliter excommunicantur, quos & corporali externo & spirituali interno commercio, quod Cives Ecclesiæ inter se habent, privari, non gravatè concedimus. Sed quid hoc ad rem?

Excommunicatio non est similis capitali supplicio.

Secundò, *Excommunicatio eum locum in Ecclesia habet, quem pœna mortis habebat in veteri Testamento, et quem habet in temporalibus Rebuspublicis. At per mortem separantur homines planè à tota Republica.* Augustin. q. 34. in Deuteronom. *Hoc*, inquit, *nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tum interfectio.* Vbi confert, quod dicebatur, Deuteron. 24. *Auferes malum de medio tui*, cum eo, quod dicit Apostolus 1. Cor. 5. *auferte malum ex vobis ipsis.*

Sed hoc non est omninò verum. Mors enim semper est ultimum supplicium, excommunicatio verò non semper est ultimum supplicium. Deinde à mortali supplicio non datur restitutio vitæ, ab Excommunicatione verò datur reditus in Ecclesiam.

Præterea si excommunicatio est loco mortis. Quare Papa ultra excommunicationem procedit, & in corpora miserorum hominum sævit? Equidem ultra mortem nemo sævire potest in faci-

facinorosum. Verùm res ita se non habet, appetit enim bona, & opes, & facultates miserorum mortalium. Nam cùm Reginam Angliæ excommunicasset, incitabat Hispanum, ut hujus ope auxilioq; illius regnum occuparet. Iuxta vanum & mendax infelicis poetæ vaticinium: *Papa ultra excommunicationẽ arma infert.*

Tu qui Romanas voluisti spernere leges,
Hispano disces subdere colla jugo.

Si rectè fecit Papa, cùm eam excommunicaret, & excõmunicatio est ultimum Ecclesiæ supplicium, impiè & tyrannicè fecit, cùm eam ultra Excommunicationem armis persequeretur & ejus regnũ peteret. Postremò possunt quidẽ illa dicta Deut. 24. & 1. Cor. 5. inter se comparari; tamen non significant idem. Vnum enim notat inflictionem mortis, alterum ejectionem ex Ecclesiastica societate, sine ulla mortis suspicione.

Tertiò nulla est pœna gravior, quã Ecclesia infligere posit, excõmunicatione, ut beatus Augustinus docet. lib. de corrept. & gratia, 15. Ergò per excõmunicationem ejicitur homo de Ecclesia. Nam gravius est projici de Ecclesia, quã quælibet pœna quæ de manẽtib. in Ecclesia sumitur. *An excommunicatio gravissimum supplicium.*

Sed ut omnis excommunicatio non eiicit hominem ex Ecclesia; ita illam excommunicationem, quæ hominem ex Ecclesia eiicit, & omni spirituali communione privat, esse gravissimam pœnam non negamus. Fatemur item excommunicationem tantùm ferri in contumaces, & incorrigibiles. Cùm scilicet ritè stringitur, atq;

tum

tum separare hominem ab externa communione. Cui excommunicatus, cùm absolvitur, restituitur. Quod verò ad internam cōmunionem attinet, eam nullus homo cuiquam adimere, aut reddere potest. Solius Dei hoc munus est.

Quidam excommunicati sunt in Ecclesia. His argumentis voluit adversarius ostendere omnes excommunicatos esse extra Ecclesiam. Nunc nobis non difficile fuerit ostendere quosdam excommunicatos esse in Ecclesia. Primò enim potest homo excommunicatus retinere baptismum, fidei professionem, & subjectionem Prælatis legitimis debitam, atque adeo esse amicus Dei, si nimirum sit injustè excommunicatus. Potest etiam justè excommunicatus pœnitentiam agere, & habere illa tria antequam absolvatur, igitur in Ecclesia erit, etiam manens excommunicatus.

Respondet *talem esse in Ecclesia animo, sive desiderio, atque hoc sufficere illi ac salutem, non tamen esse corpore, sive externá communione, quæ propriè facit hominem de ecclesia ista visibili, quæ est in terris.* Aug. de vera relig. c. 6. *sæpe etiam divina providentia sinit expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerunt, neque ullas novitates,* vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint. *docebunt homines quã vero affectu, & quanta sinceritate caritatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto pater in occulto videns.* Hic Bellarminus vi argumenti

fractus

fractus, deserit Romanas, quas antè defendit, nugas, & transit in nostra castra. Fatetur enim ejusmodi excommunicatum, retinere baptismum, fidei professionem, & subjectionem legitimis prælatis debitam. Addit eum anima & desiderio esse in Ecclesia, atque hoc sufficere ei ad salutem. Sed anima est, *interna dona Spiritus Sancti, videlicet Fides, Spes, Charitas*, ut docet Bellarminus lib. 3. de Ecclesia. c. 2. si igitur quidam excommunicati sunt anima in Ecclesia, tum quidam excommunicati retinēt fidem, spem & charitatem, quod si verū est, sequitur eos non spoliari omni spirituali commercio. Denique si salutem consequuntur, aut sunt verè & actu in Ecclesia, aut potest aliquis salvari, qui verè & actu in Ecclesia non est, quod omnium judicio absurdum est. Extra Ecclesiam enim non est salus, & qui non habet matrem Ecclesiam, ille non habet Christum Patrem. Quòd autem negat eum corpore sive externa communione esse de Ecclesia, neque simpliciter verum est. Nam cum Asiaticis à Victore excommunicatis communicabat Irenæus, & cæteri Europæi Episcopi, quod & Ægyptiaci, & Palæstini & Africani faciebant, ut ex Eusebio manifestum est, neque nostram sententiam lædit. Ipse enim Bellarminus docet corpore esse in Ecclesia eos, qui nullam habent internam virtutem, & qui similes sunt unguibus, capillis, & malis humoribus in corpore humano, lib. 3. de

Eccles.

Eccleſ. c. 2. libenter autem fatemur verè fideles ſi injuſtè excommunicantur, aut ſi excommunicati reſipiſcunt, non eſſe in Eccleſia tanquam malos humores in corpore humano. Contendimus enim ejuſmodi homines eſſe de anima Eccleſiæ, & habere internam ſpiritus communionem, ac proinde eſſe viva Chriſti membra. Addit *externam communicationem, propriè facere hominem eſſe de Eccleſia illa viſibili, quæ eſt in terris.* Duplex igitur eſt communicatio, una externa, altera interna, ac proinde duplex modus exiſtendi in Eccleſia. Vnus ſecundum internam Communicationem, alter ſecundum externam. Atque hoc ipſe adverſarius agnoſcit. Hunc enim poſteriorem dicit facere hominem eſſe de illa viſibili Eccleſia, quæ eſt in terris. Vndè neceſſariò ſequitur illum facere hominē eſſe de illa inviſibili Eccleſia, quæ eſt in cœlis. Quæ omnia ſi vera ſint, quorſum tantopere exagitat diſtinctionem Eccleſiæ in viſibilem & inviſibilem? An cùm hoc Bellarminus dicit, Catholicum eſt, Cùm idem nos dicimus, hæreticum eſſe judicatur? Dictum Auguſtini confirmat noſtram ſententiam. Quos n. Deus in occulto coronat, hi ſunt in Eccleſia. Extra Eccleſiam enim non datur corona. Quidam igitur excommunicati ſunt in Eccleſia.

Duplex exiſtēdi modus in Eccleſia.

Secundo, quia Auguſtinus contra Donatiſtas poſt collationem. c. 20. dicit: *Neque enim a populo Dei ſeparamus, quos vel degradando; vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendo locum*

redi-

redigimus, Respondet se suspicari hunc locum esse corruptum, & legendum esse, *Neque enim à populo Dei non separamus*. sed hanc suspicionem esse inanem probo. primùm quòd ipsi adversarii coguntur fateri, non à populo Dei separari, quicunque degradantur: Deinde ad humiliorem pœnitendo locum redigere, non est idem quod à populo Dei separare. Locus Augustini quem adversarius asscribit, suspicionem non juvat, & aptissimè cum recepta lectione congruit. Adversarius hoc videns dicit, quòd si locus hic corruptus non est, responderi potest, per populum Dei hoc loco non intelligi solam Ecclesiam militantem, sed absolutè numerum omnium salvandorum. Ita rursus à Iesuitismo transit in Orthodoxorum castra. Atqui si excommunicatio, non separat à numero salvandorum; tum utique non separat ab universali Catholica Ecclesia, hæc enim nihil aliud est, quàm multitudo sive numerus salvandorum.

Tertiò, Excommunicatio est medicina quædam spiritualis instituta in utilitatem eorum, qui excommunicantur. unde Apostolus 2. Thessal. ult. *Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cnm illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*. Ad hoc respōdet: *Excommunicatio etiamsi abscindit hominē de Ecclesia, tamen non aufert potentiā, ut non possit iterū inseri in Ecclesiam is qui præcisus est, si pœnitētiā agere velit.*

Excōmunicatio est medicina.

Sed hæc responsio sumit illud quod est in quæstione, dicit enim omnem excommunicationem *abscindere hominem ab Ecclesia*. At ipse textus contrarium evincit. Docet enim, ut excommunicatū non *existimemus quasi inimicum*, sed ut *eum corripiamus tanquam fratrem*. Equidem si excommunicatus est frater, tum non à tota fraternitate præcisus est. Deinde excommunicatus vel est verè & reipsa Christi membrū, vel non est: si non est, tum fuit externa tantùm communicatione, non interna spiritus gratia cum Ecclesia sociatus, ac proinde numquam fuit in numero salvandorum, hoc est in vera catholica Ecclesia, & per Excommunicationem declaratur, qualis sit, & semper fuerit: si verò est verum Christi membrum, tum non potest realiter separari, sive resecari à Christo. Vt enim mẽbrum vivum, quod à corpore prçciditur, arescit, non sinatur; ita quicunque reipsa à Christo separantur, fructum ferre non possunt, & necessariò ad ruinam tendunt. Intereà non negamus per justam & legitimam excommunicationem separari hominem semper à visibili externa Ecclesia. Tantùm addimus eum non semper separari per excommunicationem ab Ecclesia invisibili salvandorum, ut jam ostensum est, addimus excommunicationem aliquando injustè & sine causa infligi, in tali autem casu eam non separare aliquem ab Ecclesia salvandorum. Docet Lombardus lib. 4. dist. 10. cap. 4. §. Secundum.

Excõmunicatus nõ semper separatur ab Ecclesia.

Aliquando

Aliquando ostendunt solutos & ligatos, qui ita non sunt apud Deum; & pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos admitti arcent. Et, *Quos secundũ merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit, & illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur. unde Origines. Exit quis à veritate, à fide, à charitate, per hoc exit de castris Ecclesiæ, etiamsi Episcopi voce non abjiciatur. Sicut e contra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereatur exire, non læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, & qui foras* (lege foris) *est, intus videtur retineri.*

CAPUT VI.

De Prædestinatis.

AN & quatenus excõmunicati sint in Ecclesia, excussimus capite præcedente; sequitur ut de prædestinatis & reprobis disputemus. Quærit adversarius, an soli prædestinati, an verò prædestinati & reprobi simul ad Ecclesiam pertineant? & dicit se contra *VViclefum, Hussum & Calvinum* sustinere, non solos prædestinatos; sed etiam reprobos ad Ecclesiam pertinere. Memineris autem Lector, Ecclesiam definitore adversario esse *cœtum hominum unius fidei professione, & sacramentorum communione sub regimine Papæ Romani colligatum.* Etsi enim hæc definitio tantùm ad eam Ecclesiæ par-

An prædestinati sunt in Ecclesia.

tem, quæ in terra militat, non ad universam, quæ partim in terra versatur, partim in cœlo triumphat, partim nondum nata est, accommodari possit, ac proinde tota adversarii disputatio nihil ad rem faciat. Non enim de parte, sed de tota, & universali Ecclesia disputamus; tamen ejus thesis ad positam definitionem applicata falsa est. Nam definitio hæc ita intelligenda est, ut vel omnes prædestinati & reprobi in ea includantur, vel aliqui tantùm, si posteriorem sententiam tuetur adversarius, ineptire meritò judicatur, quò enim referentur cæteri prædestinati & reprobi, qui sub hac definitione non comprehendũtur? si priorem, falsa est ejus thesis. Multi enim prædestinati sunt, qui tamen in ista Ecclesia, quam definit adversarius non reperiuntur. Equidem illi qui in cœlo triumphant, neq; fidei professione, neque sacramentorum communione nobiscum conglutinantur, neque Papæ Romani regimine constringuntur. Num eos ex Ecclesia Catholica profligabit adversarius? Quin Africanæ Ecclesiæ tempore Augustini Hypponensis, & Anglicanæ ante adventum Augustini Monachi in Britanniam, etiam Asiaticæ tempore Victoris sub regimine Papæ Romani non comprehendebantur. Secundum Canonem Nicenum, Episcopi Romani regimen ultra *suburbicas Ecclesias* non extendebatur. Ruffin. l. 1. cap. 5. Can. Nicen. 6. Num adversarius tam multas Ecclesias

Aliqui prædestinati non sunt in Ecclesia Bellarminiana.

ſias, Aſiaticas, Africanas, & Europæas, à corporis unitate reſcindet? falſum igitur eſt omnes prædeſtinatos pertinere ad eam Eccleſiã, quam definit adverſarius. Quin ad Eccleſiam à Bellarmino definitam ne unus quidem prædeſtinatus pertinet. Omnes n. qui prædeſtinati ſunt, aut ſunt ante hunc diem mortui; aut jam vivunt; aut nondum nati ſunt, primi & ultimi non pertinent ad Eccleſiam Bellarminianam, non enim vel externa fidei profeſsione, vel ſacramentorũ communione, vel imperio Papæ copulantur. Relinquũtur ſoli viventes. Sed hi vel ſunt converſi, & actu ad Eccleſiam acceſſerunt; vel nondum ſunt converſi, neq; actu ad eam acceſſerũt. Hi ad Eccleſiam Bellarminianam non pertinẽt. Nam neque fidem profitentur, neq; ſacramenta uſurpant, neque papæ imperium agnoſcunt. Illi etiam ad eam non pertinent. Non enim ſolo ultimo exiſtendi modo ad Eccleſiam pertinent, neque ſunt in ea, quemadmodum mali humores in corpore humano: ſed ſunt in ea ut viva membra, & non corpore tantùm, qui eſt ultimus in Eccleſia exiſtendi modus, de quo ſolo loquitur Bellarminus: ſed anima & corpore ſimul ad Eccleſiam pertinent. Ac proinde aut definitio Bellarmini rejicienda eſt, aut agnoſcendũ, nullum prædeſtinatũ ad Eccleſiam pertinere. Huc meritò rediguntur, qui veteri & antiqua doctrina exploſa novam & recentem amplectũtur. Eſt enim hęc definitio à Bellarmino tradita, do-

ctrina planè recens & nova. Non enim sacra Scriptura, neque quisquam ex tota antiquitate docuit de Ecclesiæ essentia esse papæ Romani imperio subjectū esse. Nisi fateatur adversarius, producat ex sacra Scriptura vel unum locū, vel ex omnibus patribus græcis & latinis unum, unum inquam producat, qui doceat hanc subjectionem esse de Ecclesiæ essentia, & in ejus definitione poni debere. pergit adversarius contra VViclefum, Hussium, & Calvinum in hunc modum disputare.

Argumenta cōtra VViclef. Hus. & Calv.

Ecclesia comparatur Areæ Mat. 3. *permundabit, inquam aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Certè nomine areæ non potest intelligi nisi Ecclesia, in qua tamen inveniūtur paleæ, quę si comburātur igni inextinguibili, certè non significant Electos. Resp. significare Ecclesiam, sed Ecclesiam particularem in terra peregrinantem, idq; ex ipso contextu intelligi potest. Area enim purgabitur in futuro judicio, est igitur res diem Iudicii præcedens, & quia in ea sunt mali cum bonis permixti, est mundana, in Cœlum enim malis accessus non patet. sed Ecclesia mundana ante judicii diem existens peregrinatur in terra. Nos verò non de particulari in terra militante, sed de universali partim hic militante, partim ibi triumphāte loquimur, cùm dicimus, *Credo sanctam Catholicam Ecclesiam.* Cæteræ parabolæ, ut Matt. 13. de sagena missa

in

in mare, & congregante omne genus piscium, quorum aliqui in ignem mittentur, &c. Matt. 22. de cõvivio nuptiali, ad quod intraverãt mali, qui cùm non haberẽt vestem nuptialem, ad exteriores tenebras abjiciuntur. item Matt. 25. de decem virginibus, quarum quinque sunt fatuæ, & cùm sub adventum Sponsi non habeant oleum, excluduntur. Denique Matt. 21. de ovili, in quo sunt oves & hædi, tantũ loquuntur de Ecclesiis particularibus in terra militantibus. Piscatio enim illa fit in hoc mundo. Ibidem fit vocatio ad conviviũ, in eodem mundo fatuæ virgines expectant sponsi adventum, neque alibi hædi ovibus admixti sint. Exemplum de incestuoso nihil facit ad rem. Tantùm docet Electum ex visibili particulari Ecclesia ejici posse. Quod Paulus docet 2. Tim. 2. *in magna domo esse vasa aurea & vasa lignea, quædam ad gloriam comparata, quædam ad contumeliam*, nihil probat. Domus enim hæc significat particularem Ecclesiam in terra peregrinantem, in qua bonos malis permixtos esse confitemur. Sed particulares Ecclesiæ in terra peregrinantes neque singulæ, neque congregatæ, sunt illa vna sancta Catholica, quam in symbolo credimus. Ad hanc enim pertinent sancti in Cœlo triumphantes, ad eandem pertinent electi nondum nati, quorum neutri sub peregrinante, sive particulariter sive universaliter sumpta, comprehendi possunt.

Iterat ex Cypriano l. 3. Ep. 3. & lib. 4. Ep. 2. *in*

eadem Ecclesia esse triticum & Zizania, vasa aurea & lignea. Sed hanc Ecclesiam, in qua sunt zizania, & vasa lignea, esse particularem in terra militantem jam antè diximus. Ad eandem Ecclesiam pertinet quod Augustin. dicit tract. 45. in Iohan. *secundum præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oves foris, q̃ multi lupi intus?*

Dices si in Ecclesia particulari sunt lupi ovibus mixti, sequitur & eosdem esse in Ecclesia universali. Nam quod est in parte, idem est in toto. Ad quod jam antè respondimus, & ostendimus universalē Ecclesiam accipi duobus modis, videlicet pro universali in terra peregrinante, quæ revera tantùm una Ecclesiæ universalis pars est, & ob eam causam contra triumphantem distinguitur; & pro universali simpliciter sic dicta. Prima significatione concedi potest, in universali Ecclesia esse lupos ovibus permixtos, in altera non item, causa hujus rei est, quòd Ecclesia est evocatio quædam, sive Cætus evocatus, & quia evocatio illa duplex est, una interna, altera externa, sequitur eos, qui externa tantùm vocatione evocantur, etiam ad hunc cætum aliquo modo pertinere, quamquam non re ipsa, sed externa tantùm specie ad eam pertineant.

Ecclesia à meliori parte denominatur.

Ecclesia verò non ab his, qui specie tenus in ea sunt; sed à meliori parte, hoc est, ab illis, qui re ipsa & efficaciter ad Christi Communionem vocantur, nomen habet, ut si quis rem hanc exactè rimari velit, fateatur eos, ne quidem

ad

ad essentiam particularis Ecclesiæ pertinere, qui enim non reipsa, sed specie tenus tantùm sunt in particulari Ecclesia, non rectè dicuntur ad ejus essentiam pertinere. Augustinus dicit eos *forinsecus tantùm adjacere*. de baptis. lib. 5. c. 27. *esse vita moribúsque spiritualiter separatos à bonis, & tantùm corporaliter videri bonis in Ecclesia permixtos esse*. l. 2. cont. Crescon. 34. *eosdem licet intus esse videantur, esse Pseudochristianos, & antichristos, & esse ab illa invisibili Ecclesia compage separatos*, de baptism. l. 3. c. 14. Hæc causa est, quòd nullo modo ad universalem Ecclesiam propriè sic dictam pertineant. Vniversaliter enim propriè sic dicta, ex iis tantùm, qui verè & reipsa ad Christi communionem vocati sunt, constat. Hoc est quod Augustinus dicit contra Crescon l. 2. c. 21. *in corpore Christi, quod est Ecclesia, non sunt membra damnata, & in istius unicæ columbæ membris non possunt monstra computari.*

Exempla Pauli & Iudæ hanc doctrinam confirmant, neque ab ea vel latum unguem dissensit Iohannes Hus. Paulus enim secundum ineffabilem præscientiam, vel quod idē est secundum æternam Dei prædestinationem, semper fuit in illa universali Ecclesia, actu verò ad eandem aggregatus est, cùm efficaciter ad Christi communionem vocaretur. Iudas forinsecus adhæsit particulari Ecclesiæ, vel quod idem est, corporaliter fuit bonis in particulari Ecclesia permixtus, à quibus semper spiritualiter vita & moribus *Paulus.* *Iudas.*

fuit separatus. Vel ut aptiùs dicam, licet intus esse videretur, fuit tamen semper ab ista invisibili Ecclesia compage separatus. Quid mirum igitur, si Paulus persecutus est eam Ecclesiam, in qua nondum actu, sed tantùm secundum æternam Dei prædestinationem erat? fiebat enim hoc ab eo priusquam, ad illam actu aggregaretur. Hanc distinctionem, qui intelligit, ille videt neque Lucam esse mentitum, cùm diceret Paulum persecutum esse Ecclesiam, neq; Hussium à vero aberrasse. cùm diceret, Paulum semper fuisse de Ecclesia. Neque hoc novum dictu est. Dixit ante eum Augnstin. Tractat. 45. in Ioh. *Quàm multi luxuriantur casti futuri? q̃ multi blasphemãt Christum in Christum credituri?* Et l. 5. *cõtr.* Donat. c. 27. *In illa ineffabili præsciẽtia Dei, multi, qui foris videntur, intus sunt, & multi qui intus videntur, foris sunt.* Ecce dicit eos *esse oves, & intus esse*, qui adhuc foris sunt. Quomodò verò hoc ipsum? Augustinus hunc nodum solvit dicens, *de prædestinatis loquitur:* Hussus verò dicit Ecclesiam esse cætum prædestinatorum, sive electorum. Hos Bellarminus secutus, dicit eos, *qui nondum erant in Ecclesia, oves & filios Dei dici, secundum prædestinationem, & in potentia; non autem actu & simpliciter*, lib. 3. de Eccles. Cap. 7. ut nemo dubitare debeat, Augustinum & Bellarminum, si Constantiæ fuissent, non potuisse eas flammas effugere, quibus Hussius non auditus, nedũ convictus, contra datam fidem

Bellarminus cõcedit in sententiam Hussi.

fidem combustus est.

Ex his quæ jam dicta sunt, facilè quis conciliaverit dicta patrum, quibus Paulum licet prædestinatum dicunt fuisse lupum, non ovem, vas fictile, idque conversum in aureum. Et Iudam fuisse vas aureum, idque conversum in fictile; eundum licet reprobum, de vera Ecclesia fuisse; fuisse item Episcopum in eadem Eccclesia, in qua fuerunt cęteri Apostoli, & fuisse filium Dei. Paulus enim actu erat lupus, cùm persequeretur Ecclesiam, & nondum efficaciter vocatus esset ad Christi communionem, idem externa specie videbatur vas fictile; secùndum prædestinationem verò fuit semper ovis, & vas aureum, ac talis reipsa & actu fiebat, cùm in itinere Damasceno prostratus efficaciter ad Christi communionem vocaretur. Iudas itē non veritate, sed externa specie videbatur vas aureum, idem externa societate erat in visibili Ecclesia, eaq; vera, non Episcopus, sed Apostolus, simulataq; & ficta professione inter Christi discipulos & filios se esse præ se ferebat. Interna verò & spirituali conjūctione, neq; cum Apostolis, neq; cum vera universali Ecclesia umquam conjunctus fuit. Docet idem Augustin. tract. 61. in Iohan. *Vnus ex vobis numero, non merito; specie, non virtute; conjunctione corporali, non vinculo spirituali; carnis conjunctione, non cordis solius unitate*. Et paulò post. *Vtrumq; verùm est, & ex nobis, & non ex nobis, secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis.*

Conciliatio dictorū patrum, de Ecclesia.

secundum

secundum communionem sacramentorum, ex nobis; secundum suorum proprietatem criminum, non ex nobis. Paulò antè docui ex Augustino de Baptismo libro tertio, capite decimo nono, ejusmodi homines, *licet intus esse videantur, tamen esse ab ista universali Ecclesia compage separatos.*

Sola prædestinatio non facit hominem de Ecclesia.

Ex iisdem cognosci potest, quàm vana sint illa, & nullius momenti, quæ adversarius annectit. Nusquam enim docemus *solam prædestinationem facere, hominem esse de Ecclesia,* sed dicimus fieri non posse, ut ii, qui prædestinati sunt, moriātur, priusquam efficaciter ad Christi communionem vocentur. Vel quod idem est, docemus, eos, qui ab æterno electi sunt in Christo; in tempore efficaciter vocari, & Christo inseri, atque ita fieri viva mēbra corporis Christi quod est Ecclesia. Neque dicimus homines impios, si prædestinati sunt, esse de Ecclesia, & viva Christi membra, priusquam convertuntur & cum Ecclesia cōjunguntur: sed asserimus homines impios, qui prædestinati sunt, definito tempore, efficaciter vocari ad Christi communionem, justificari per eundem Christū, regenerari; & tandem fieri viva Christi membra. Non igitur fuit necesse, ut probaret impios non esse viva Christi membra, fatemur enim eos, qui spiritum Christi non habent, non esse ejus, hoc est, non esse ejus viva membra. Fatemur item impios non habere spiritum Christi, quamquā ille,

ille, qui modò impius est, secundum æternam Dei prædestinationem ejus esse, & reipsa, sive actu ejus spiritum accipere, & ejusdem vivum membrum fieri potest. Quod autem dicit *quoslibet sanctos & pios baptizatos, si non sunt prædestinati, esse de Ecclesia, & de corpore Christi*; bis admittit fallaciam æquivocationis. sanctos enim eos vocat, & pios, non qui revera pii sunt & sancti, sed externa specie & professione tantùm. Eosdem dicit esse in Ecclesia, non in illa invisibili universali à qua *compage separati* sunt; sed in externa & visibili. Eosdem dicit esse de Ecclesia & corpore Christi, non de illa invisibili & universali, in qua omnes electi, & extra quam sunt omnes reprobi, de qua in symbolo dicimus, *credo sanctam Catholicam Ecclesiam*: sed de particulari visibili, adhuc in terra peregrinante, in qua boni & mali permixti vivunt. Quamquam subdubito, an non velit omnes baptizatos esse pios & sanctos. Quod sanè tolerari minimè potest, nisi per sanctos intelligat tam eos, qui externa specie tantùm tales sunt, q̃ eos qui revera sancti sunt & pii. Post hæc probat *omnes pios baptizatos esse membra Christi*, quod non fuisset necesse. Nam ut jam dictum est, nostri doctores docent eos, qui revera pii sunt & sancti, esse viva mẽbra Christi, & eos qui specie tenus tãtùm sãcti sunt, esse etiam specie tenus tantùm membra Christi.

Omnis revera sãctus & pius est prædestinatus.

Nusquam docet Paulus aliquem qui non sit prædestinatus, donari fide viva, aut reipsa & efficaciter

Omnis prædestinatus regeneratur.

efficaciter ſanctificari, aut inſeri Chriſto per ſpiritum & fidem. In priori enim ad Corinthios cap. 12. v. 13. non dicit ſimpliciter omnes Corinthios in unum corpus baptizari, ſed docet eos, qui per unum ſpiritum baptizantur, in unum corpus baptizari. Reprobi verò ſpiritum Chriſti non habent, neque unquam accipiunt, & ob eam cauſam per eum non baptizantur. Particula *omnes*, debet ad ſubjectam materiam reſtringi, ut ſit hæc ſententia, nos omnes qui per ſpiritum Chriſti baptizamur, baptizamur in unum corpus. Eodem modò non dicit ſimpliciter omnes Galatas eſſe Chriſto per fidem inſitos, & induiſſe Chriſtum, ſed docet eos, qui in Chriſto baptizantur, fieri filios Dei per fidem, & Chriſtum induere. Reprobi verò in Chriſto non baptizantur, & ob eam cauſam non fiunt filii Dei per fidem, neque Chriſtum induunt, hoc eſt, veræ & ſalutaris cum Chriſto Communionis nunquam fiunt participes. Particula item, *omnes*, debet ad ſubjectum reſtringi in hunc modum, Omnes in Chriſto baptizati efficaciter & reipſa ſunt filii Dei per fidem, & induerũt Chriſtum, ſed reprobi nomine tenus tantùm, non efficaciter, neq; reipſa, baptizantur in Chriſto, atq; ita non reipſa, ſed nomine tenus fiunt filii Dei, quod ſi quis diligenter expendat, videbit non eſſe neceſſe, ut credamus Paulũ docuiſſe omnes Corinthios & Galatas fuiſſe prædeſtinatos.

Particula, omnes non ſumitur univerſaliter.

Dicta Auguſtini noſtram ſententiam confirmant.

Reprobi nõ regenerantur.

mant.

mant. In epistola ad Dardanum dicit: *In compagem Christi tanquam in vivā structuram templi Dei, quæ est Ecclesia, nati homines non ex operibus justitiæ, quæ fecerūt, sed renascendo per gratiam referuntur, tanquam de massa ruinæ ad ædificii firmamentū.* Nam reprobi nunquam renascuntur, & ob eam causam in vivam structuram templi Dei nunquam referuntur. Renascūtur tantùm nomine tenus & in specie, non reipsa, neq; verè, atque ita in Ecclesia Dei esse censentur. Idem dicit libr. 2. contra Cresconium cap. 21. *Absit ut intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est, qui non potest falli, qui tamen si confitentur & corriguntur, tunc intrant, tunc mūdantur, tunc in arboribus horti conclusi, tunc in membris unicæ columbæ numerantur.* At, qui non intrant in limites horti conclusi, illi non sunt in catholica Ecclesia; Hortus enim hic conclusus est Ecclesia Catholica, ut paulò post ostendemus. Reprobi igitur, ut non sunt viva membra Christi: ita nō sunt in Ecclesia Catholica, nisi nomine tenus, non verè, neq; reipsa, esse enim vivum membrum Christi & esse vivum membrum Ecclesiæ, est idem, proinde ut quis est membrum Christi, ita est membrum Ecclesiæ, & vice versa. Scitè Augustin. l. 2. contra Cresconium, cap. 34. *Mali cùm sint à bonis ita moribusq; spiritualiter separati, Corporaliter tamēcum iis in Ecclesia vidētur esse permixti*; & tractatu 61. in Ioh. *Iudas erat unus ex Apostolis commixtione corporali, non vinculo*

Ecclesia hortus cōclusus.

Reprobi non sunt membra Christi.

spiri-

spirituali. Et de correptione & gratia cap. 9. *sicut non verè discipuli Christi erant, ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.* Et lib. 3. de baptismo cōtra Donatistas, cap. 19. *Eos, qui sunt fraternæ Charitatis inimici, sive apertè foris sunt, sive intus esse videntur, pseudoChristianos esse & Antichristos & inventis occasionibus foras exire, et ab illa invisibili Charitatis compage separari, & non alienos fuisse, quòd exirent; sed exiisse, quòd essent alieni.* Hujusmodi loca plurima occurrunt. Videntur igitur esse in Ecclesia, sed non sunt, vidētur esse spirituali compage conjuncti, sed non sunt, uno verbo, videntur esse Ecclesiæ membra, sed non sunt.

Quòd autem putat omnia esse incerta, neminem cognoscere fratrem suum, Pastorem non cognoscere oves suas, neq; oves cognoscere Pastores suos, neque quemquam scire quæ sint veræ scripturæ, neque quæ sint vera sacramenta, neque quæ sit vera fides, si Ecclesia constat ex solis prædestinatis, non est magni momenti, & si ille hoc, loco triariorum in ultima acie posuerit. Nos enim dicimus universalem Ecclesiam non particularē constare ex solis prædestinatis. In particularibus verò fratres se mutuò ex confessione Christi, & fructibus fidei cognoscunt, in iisdem pastores suas oves, & hæ suos pastores ex iisdem signis agnoscunt, neque est quòd in hoc judicio aliquando errant. satis est ut benè speremus de iis, qui eundem Christum nobiscum

An homo perfectè sciat quisnam ad Ecclesiam pertineat:

cum confitentur, & præclaros fidei fructus edunt. Iudicium verò infallibile de unoquoque credēte pertinet ad solum Christum. 2. Timoth. 2. 19. *fundamentum Dei stat, novit Dominus qui sunt sui*, neque hac in re deterior est nostra conditio, quàm fuit Patrum nostrorum. Augustin. lib. 4. contra Donatistas cap. 10. *Multa esse frumenta foris, & multa zizania intus*. Et tractatu 45. in Iohannem. *Quid est quod dixi, quàm multæ oves foris? Quàm multi modò luxuriantur casti futuri? quàm multi se inebriāt futuri sobrij, quàm multi blasphemi in Christum mox credituri?* & paulò ante ex eodem Augustino docui, *multos videri esse in Ecclesia, & tamen non esse in Ecclesia*, ut manifestum sit, nihil obesse, si Christianus in fratre suo, pastor in ove, ovis in pastore discernendo errat. Quamquam ut jam antè dixi, ad nos non pertinet, ut judicemus, an quisquam sit Catholicæ Ecclesiæ membrum. Siquiden hoc judicium ad eum solum pertinet, qui potest lupos ab ovibus segregare: sufficiat scire quinam ad particularem eam visibilem Ecclesiam nobiscum pertineant. Quamquam ne sic quidem omnia incerta erunt, si quisquam neque omnes fratres suos, neque pastor omnes oves suas cognoscat. quî etiam idipsum in magnis cœtibus fieri poterit? Vltimum est planè ridiculum. Putat enim Scripturam pendere ab Ecclesia, quod tamen non ignorat à nobis negari, & recipimus nos declaraturos hoc falsum esse, cùm de Eccle-

siæ notis disseremus.

Vt omnia in pauca contraham, Adversarius docturus Ecclesiam universalem, non constare ex solis prædestinatis, probat particularem non ex solis prædestinatis, sed ex prædestinatis & reprobis simul constare. Egregium verò specimen Iesuitici acuminis.

Catholica Ecclesia cõstat ex solis prædestinatis.

Istis argumentis refutatis necessarium est, ut ostendamus universalem Ecclesiam, quam in symbolo credimus, constare ex solis prædestinatis. Ac primùm inquit Salamon. cantico. cap. 4. ver. 12. *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, fons clausus, fons obsignatus.* Hunc locum Augustinus de solis prædestinatis explicat. lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 27. *Numerus justorum qui secundum Dei propositum vocati sunt, de quibus dictum est: Novit Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ. Et ex illis ergo omnibus, qui, ut ita dicam, intrinsecus & in occulto intus sunt, constat ille hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum, hoc intelligere non audeo, nisi in sanctis & justis, non in avaris & raptoribus, & fæneratoribus, & ebriosis & invidis,* soli igitur electi pertinent ad Ecclesiam Catholicam.

Hortus conclusus

Adversarius hic primùm synecdochen comminiscitur, & dicit de parte intelligi debere, quod de toto dicitur, sed hoc esse infirmum vel inde constat, quòd Augustinus hoc de illis omnibus, qui in occulto intus sunt, intelligendum esse

esse affirmat. Si de illis omnibus, tum non de parte, sed de toto dictum hoc accipi debet. Argumentum quo adversarius utitur est etiam infirmum. Non enim si scriptura aliis locis synecdochicê toti tribuit, quod est partis, etiam hoc loco ita facit. Deinde non desunt ex patribus, qui locum Matthæi 27. aliter explicant. Equidem Hieronymus annotat, dici posse, quòd primùm uterque blasphemaverit, deinde sole fugiente, terra commota, saxisque diruptis, & ingruentibus tenebris, unus crediderit in Christum, & priorem negationem sequente confessione emendaverit, in eadem sententia est Theophylactus. Vox *omnis* ad Philip. cap. 2. non sumitur universaliter, quemadmodũ sæpè in scriptura pro subjecti ratione explicanda est. Sed hoc nihil facit ad locũ præsentem. Hic enim ista vox non usurpatur. Hanc infirmitatem & dissimilitudinem vidit ipse adversarius, itaque affert aliud argumentum, & dicit, quæ in cantico dicuntur, non necessariò de Ecclesia accipiẽda esse. Rationem hanc addit, quod quidam ea de Ecclesia, accipiunt, quidam de beata Virgine, quidam de qualibet anima perfecta, atque hoc putat esse probabilius. Quid audio? quidam patres hoc explicant de Ecclesia, quidam de beata Virgine, quidam de qualibet anima perfecta? Et propterea liceat Bellarmino Augustini interpretationem rejicere? quare nobis eandem libertatem non concedit? Si illi licet Augustinũ,

Iesuiticus disputandi modus ab autoritate, Patrum.

cum ipsi ita videtur, contemnere. Vidit opinor disputandi rationem, qua totis hisce controversiarum libris utitur, esse non tantùm infirmam, sed insulsam. Solet enim plerumque thesin proponere, & ad ejus probationem affert aliquem Scripturæ locum, neque considerat, an locus ad thesin congruat: sed addit aliquam interpretationem à quodam patre, qui scilicet illum locum ita explicuit, neque considerat, bene ne an malè explicuerit. In refutandis argumentis utitur eadem methodo. Cùm se scripturæ autoritate teneri videt, affert aliquam nescio cujus patris explicationem, qui scilicet locum à nobis allegatum, ita explicuit, ut adversarius respondet, neque considerat, quàm commoda sit istius patris interpretatio, quam affert, sed hoc tantùm attendit, an aliquis ex vetustate sit qui eum ad mentem adversarii explicuerit. Hoc verò est Iesuiticum illud acumẽ, quo omnes pœnè mortales terrentur. Nunc cùm se Augustini auctoritate teneri videt, neque habet quod in specie respondeat ad Augustinum, dicit *alios aliter explicare*. Quod si valet, cur tantopere urget patrum interpretationem esse scripturæ regulam, & verum sensum scripturarum esse eum quem patres probant. Si vel confitente Adversario hic aliter, ille aliter, iste item aliter scripturam explicat, quis sensus tenendus est? sequárne Augustinum, an Gregorium, an utrumque? utrumque sequi non possum, dissident enim: illum sequi

qui non est necesse, hic enim aliter explicat, sed neque hunc sequi necesse est, nam & ille aliter explicat.

Atque hæc est illa Iesuitica Theologia, quantò autem rectius faciunt, qui scripturam secundum analogiam fidei explicandam esse, & patrū interpretationes, quatenus cùm eadem analogia fidei congruunt, recipiendas esse respondent. Illa enim Iesuitica interpretandi ratio mera phlyaria est, & quotlibetica non explicandæ, sed vexandæ & exagitandæ scripturæ libido. Quanquam vanum puto esse, quod affert, si n. essent Patres in promptu, qui hunc locum ita interpretantur, sine dubio attulisset eos; sed neminē affert. Magna igitur suspicio est, eum vano prætextu patres crepare, ne nihil dicere videatur. Vt autem studiosus Lector intelligat, quæ sit patrum in hujus loci explicatione sententia, sciat Augustinum, præter ea, quæ jam allata sunt, dicere lib. 5. cap. 27. de Baptismo contra Donatistas. *Numerus ergo ille Iustorum, qui secūdum propositum vocati sunt, de quibus dictū est: Novit Dominus qui sunt ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum.* Huic succinit Cyprianus epist. 76. *si hortus conclusus est sponsa Christi quæ est Ecclesia, patere res clausa alienis & profanis non potest.* Et Gregorius in 4. cap. Cantici. *Hortus sancta Ecclesia existit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit.*

Scriptura secundum analogiam fidei explicanda est.

Qui hortus conclusus benè esse dicitur, quia Caritatis valle circumquaque munitur, ne intra numerum Electorum reprobus aliquis ingrediatur. Eodem modo Augustinus contra Cresconium Grammatic. lib. 2. cap. 21. *Absit ut impii intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est, qui non potest falli:* Neque quòd sciam, ex tota antiquitate quisquam est, qui hunc locum aliter explicet. Certè adversarius non potuit ex tota antiquitate vel unum producere, qui eum aliter explicaret. Idem judico de altera interpretatione. Præter inertes enim monachos non puto quemquam esse, qui eum de beata virgine interpretetur.

Tertiam interpretationem, ne nihil respondere videatur, probat duabus rationibus, una petita ex cap. 6. vers. 7. ubi Salamon ait, *sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & adolescentularum non est numerus, Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Ad quem locum quærit, si per unicam illam sponsam intelligas Ecclesiam, quid intelliges per reginas, concubinas & adolescentulas, quas omnes fovet sponsus & diligit? Igitur per matrem intelligitur Ecclesia, per Reginas, Concubinas & Adolescentulas intelliguntur animæ imperfectiores, fideles tamen & bonæ. Ac per unicam perfectam, sponsam & Columbam intelligitur anima perfecta. Sic etiam in eo quod dicitur, cap. 2. vers. 2. *sicut lilium inter spinas; sic*

amica

amica mea inter filias. Si per amicam intelligis Ecclesiam, quid intelliges per cæteras filias? num Congregationem infidelium? absit. Loquitur igitur de anima perfecta, quæ inter multas peccatrices in eodem horto Ecclesiæ commoratur.

In primo loco est fallacia figuræ dictionis, per concessionem enim inquit Rex. *Vt sexaginta sint Reginæ, & octoginta concubinæ, puellæq; innumeræ: tamen una est columba mea*; ut rectè vertit Tremellius. Alterum locum explicat Augustinus epistola 48. in hunc modum. *Dicuntur spinæ propter malignitatem morum, dicuntur filiæ propter communionem sacramētorum.* Vt igitur sunt filiæ non reipsa, sed externa specie, ita etiam à sponsa illa unica sunt non minus segregatæ, quàm sunt spinæ à lilio. Adde illam interpretationem de anima perfecta esse insulsam. Quia enim tantùm est unica columba, tantùm erit una anima perfecta, si hæc columba est anima perfecta. Iam verò hæc anima perfecta pertinebit ne ad Ecclesiam militantem? an verò ad triumphantem? si ad hanc, incides in illud absurdum, ut dicas in cœlo tantùm esse unam animam pfectam; si ad illam, incides in ęquè grande absurdum, statuendus enim erit homo qui semper vivat in militante Ecclesia, aut dicēdum erit, hanc animam perfectam more pythagoræo migrare ex uno corpore in aliud. Aut dicendum erit, omnes animas perfectas esse unam animam, ut taceam in hac vita nullam animam perfectam.

esse. Quandiu enim homines nondum liberati sunt à corpore hujus mortis, ad istam quã speramus, perfectionem non tantũ non pervenerunt, sed adeò sunt imperfecti, ut faciãt malum, quod improbant, & omittant bonum, quod approbãt, & ob eam causam gemant & contristentur mole peccatorum, quemadmodum paulò ante ostensum est. Vt vel adversario sit nova interpretatio excogitanda, vel volens nolens cogatur hunc locum de Ecclesia interpretari.

Arca Noë. Argumentum secundum. Arca Noë figura fuit Ecclesiæ, ut Augustinus docet lib. 5. de Baptismo cap. ult. At in Arca non fuerunt, nisi qui salvandi erant ex aquis; Ergo in Ecclesia non sunt nisi prædestinati.

Respondet similitudinem non in omnibus convenire, alioqui omnem baptizatum etiam esse prædestinatum, quia 1. Pet. 3. baptismus comparatur cum Arca Noë. Et, non solum boni, sed etiam mali salvarentur, quia in arca salvata sunt animalia munda & immunda. In eo ergo convenit similitudo, quòd sicut extra arcam nemo salvari potuit, ita neque extra Ecclesiam.

Similitudines non in omnib. convenire, concedimus, verùm quod veretur ex hac similitudine alioqui colligi posse, omnem baptizatum esse prædestinatum, propterea quòd 1. Pet. 3. baptismus cum Arca Noë comparatur, inanis sollicitudo est. Consequentia enim est falsa, idque propterea, quòd antecedens tertio capite primæ

epi-

epistolæ Petri nusquam reperitur, si adversarius textum inspiciet, agnoscet errorem. Decepit eum vetus interpres, sed græcus textus istum errorem statim patefacit. In eo enim est ὦ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον σώζει βάπτισμα. prononem ὦ non refertur ad τὴν κιβωτὸν, est enim generis fœminini, sed ad totum pręcedẽs, & maximè ad internum baptismum. Hoc ita esse ex iis, quæ proximè sequuntur colligi potest. subjungitur enim, *Non quo carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit, ut bona consciẽtia Deum interroget,* quod palam arguit eum non de externo, sed de interno baptismo agere. Externus en. abjicit carnis sordes, internus facit, ut bona consciẽtia Deum interroget. Altera cõsequentia est æquè firma, idq; propterea, quòd mali solo externo, non interno baptismo abluũtur, & ob eam causam salutis, quæ per baptismũ obsignatur, non fiunt participes.

Verùm quod dicit similitudinem in eo consistere, quòd quemadmodum extra arcam nemo servatus est, ita etiam extra Ecclesiam neminem servari, neque aliam similitudinem quærendam esse; rursum arguit eum, cùm hæc scriberet, non inspexisse textum Petri. Vt enim extra Ecclesiam non particularem sed universalem nemo servatur; ita omnes illos, qui sunt in universali Ecclesia, servari, ex hoc loco colligi potest. Dicit enim vers. 20. *In qua paucæ, id est octo animæ servatæ sunt.* Vt igitur omnes illi, qui in arca fuerunt, servati sunt; ita omnes illi, qui sunt

in Ecclesia servantur. Neque obest, quòd animalia immunda in Noë arca fuerint, & in eadem fuerit Cham. Loquitur enim de corporali salute facta per arcam, & dicit hanc adumbrasse spiritualem salutem, quæ nobis per Christum contigit, & per baptismum obsignatur; quasi dicat, quemadmodum corporaliter servati sunt, qui arcæ beneficio diluvium effugerunt, ita spiritualiter servantur qui per internum baptismum Christo incorporati mortis diluvium evitabunt. Petrus enim disertè meminit servationis factæ per arcam, non interitus, & servatione, non interitu arcam cum baptismo confert, eoque non externo, quo corporis sordes abluuntnr, sed interno, quo fit, ut bona conscientia Deum interroget. Porrò ut damnãdi hoc interno baptismo non tinguntur; ita etiam universalem Ecclesiam nunquam ingrediuntur, & ut soli & omnes salvandi hoc baptismo abluuntur: ita omnes & soli salvandi intra limites hujus Ecclesiæ recipiuntur. Docet hoc Augustinus, de baptismo lib. 3. cap. 28. contra Donatistas. *Qui verbis tantùm, non factis renunciarunt seculo, in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio, non pertinet ad arcæ hujus mysterium.* Et. *Omnes qui corde sunt intùs, in arcæ unitate, per eandem salvi fiunt; per aquam omnes, qui corde sunt foris, sive etiam corpore sint foris, sive non sint, tanquam unitatis adversarii moriuntur.* Vides illos non pertinere ad Arcæ mysterium, qui interno baptismo non

bapti-

baptizantur? Vel, ut apertiùs dicam, Vides eos tantùm servari, qui corde intus sunt in arcæ unitate, & contrà, illos, sive corpore foris sint, sive corpore intus sint, perire, qui corde foris sunt.

Argumentum tertium. Christus non est caput, nisi ejus Ecclesiæ, quam salvabit, & quam exhibebit sibi in die judicii gloriosam, non habentem maculam aut rugam, ut dicitur Eph. 5. 27. at soli prædestinati erunt salvi & gloriosi; igitur soli prædestinati ad Ecclesiam Christi pertinent. Respondet vocem, *ejus*, vel significare partem Ecclesiæ, vel totam Ecclesiam. Si partem tum propositionem esse falsam. Christum enim esse totius corporis sui caput, etsi quædam membra pereant: si totam; consequentiam esse falsam, etsi enim quædam membra pereant, Christus tamen servavit Ecclesiam suam, cujus est caput. Sed Exclusiva, *non est nisi*, in argumento posita, non admittit hanc distinctionem. Est enim perinde ac si dicas, Christus est salvandorum caput tantùm. Ergo salvandi tantùm pertinent ad Ecclesiá. Syllogismus integer formabitur in hunc modum:

Christus est caput salvandorum.

Quorum Caput est Christus, illi pertinent ad Ecclesiam, Sed soli & omnes salvandi sunt illi quorum caput est Christus: Ergo soli & omnes salvandi pertinent ad Ecclesiam.

An damnandi sint membra Christi.

In hoc syllogismo videtur negare minorem, quòd quidam qui pereunt, dicantur membra Christi, sed dicuntur, non sunt; aut si sunt, sunt

ſpecie tales, non re ipſa; ſunt externa corporis ſocietate, non ſpiritus unitate; ſunt Sacramentorum communione, non fidei juſtificantis conjunctione: ſunt corpore intus, corde foris: ut præcedentibus argumentis ex Auguſtino oſtenſum eſt. Vno verbo, prout unuſquiſque eſt membrum Chriſti, ita etiam eſt membrum Ecclesiæ, vel quod idem eſt, prout Chriſtus cujuſque caput eſt, ita Eccleſia ejuſdem mater eſt. Qui ergo nomine tenus ſunt membra Chriſti, illi etiam ſunt nomine tenus membra Eccleſiæ, & vice verſa, qui nomine tenus ſunt membra Eccleſiæ, illi etiam ſunt nomine tenus membra Chriſti, & qui revera ſunt membra Chriſti, illi etiam revera ſunt membra Eccleſiæ. Hæc inanis ſpecies & externa profeſsio tantùm habet locum in viſibilibus & particularibus Eccleſiis, in univerſali Eccleſia propriè ſic dicta locum non habet. Nam ut antè oſtenſum eſt, cuſtos horti concluſi falli nequit, & ob eam cauſam nullus damnandus intra ejus limites irrumpere poteſt. Scitè Auguſtinus libro 2. contra Creſcon. cap. 21. *Propter malam pollutámque conſcientiam damnati à Chriſto, jam in corpore ejus non ſunt, quod eſt Eccleſia, quoniam non poteſt Chriſtus habere membra damnata.* Apoſtolus idem aſſeverat, pronunciat enim Chriſtum eſſe caput eorum, quibus ſalutem dabit, verſ. 23. & quos ſiſtet glorioſos, verſ. 27. ſed ſoli & omnes ſalvandi, ſunt illi, quibus ſalutem dabit, & quos glorioſos ſiſtet.

Membrum Chriſti.

sistet. Perinde igitur est, ac si adversarius de aliis interrogatus responderet de cæpis. Nos concludimus, nullos damnandos esse membra universalis, propriè sic dictæ Ecclesiæ. Ille ut hoc refutet, asseverat in visibilibus particularib. cœtibus esse quosdam damnandos. Hoc verò est acu rem tangere.

Argumentum quartum. Corpus mysticum simile est corpori vero. Sed totum corpus Christi verum cum omnibus suis partibus salvum & gloriosum est. Igitur etiam corpus mysticum in omnib. suis mēbris & partibus salvari debet. *Corpus mysticum.*

Respondet mysticum Christi corpus salvum fore, quâ omnes partes formales, sed non quâ omnes partes materiales.

Planè eadem respondendi ratio, qua in superioribus usus est. Consideratur autem Corpus Christi duobus modis, videlicet universaliter, & particulariter. Ecclesia enim particularis, & Ecclesia universalis est corpus mysticum, & hęc rursus dupliciter, videlicet κατά τι, & simpliciter universalis, ut in superioribus ostensum est. Hac distinctione observata, & intellecta, planè aliena est ejus responsio. Nam ut in Ecclesia particulari, ita & in corpore mystico particulari, non omnia membra materialia sunt etiam formalia. Hoc est, non omnes externa vocatione vocati sunt etiam interna vocatione vocati, sed non eodem modo se res habet in Ecclesia sive corpore mystico simpliciter & universaliter sumpto, ut

nos

nos illud in symbolo accipimus. In hac enim sive Ecclesia, sive Corpore mystico, omnia membra materialia sunt etiam formalia. Nam ut nos antè ex Gregorio docuimus, *hic hortus tam arctè circumquaque munitus est valle Charitatis, ut intra eum reprobus ingredi nequeat.* Dicere igitur aliquod membrum Corporis mystici particulariter sumpti perire, atque inde inferre aliquod membrum Corporis mystici simpliciter, & universaliter sumpti perire; nihil aliud est, q̃ Iesuitari. Ratio differentię est, quòd in illo tum reprobi & electi sunt, in hoc electi tantùm. Scitè Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. c. 32. *Non est revera Corpus Domini, quod cum illo non manet in æternum.* Contra Crescon. lib. 2. c. 21. *Damnati a Christo non sunt in corpore Christi, quod est Ecclesia.*

Argumentum quintum. Ecclesia est unum *Ovile.* ovile, Ioh. 10. At oves non sunt nisi prædestinati, ut inquit Augustinus tract. 45. in Iohan. Igitur soli prædestinati sunt de Ecclesia.

Oves. Respondet oves quandoque significare prædestinatos tantùm, quandoque bonos & malos simul, illa significatione argumentum procedere, hac non item. & subjungit secũdum priorem significationem, in ovili non esse solas oves; sed etiam hœdos, ut patet Matth. 25. ubi separantur oves ab hœdis, cùm antè simul fuissent in eodem ovili. Ovile autem dicitur, etsi non solas oves contineat, à meliori parte.

Ovile à meliori parte sic dicitur.

Ridi-

Ridicula est hæc responsio, ut priores. Ovile enim distinguitur in Particulare & Universale, ut ipsa Ecclesia. In particulari sunt boni & mali simul, in universali simpliciter sic dicto, boni tantùm. Docet hoc ipse Christus, Iohan. 9. 9. *Ego sum ostium, per me si quis intraverit, servabitur.* Quod congruit cum illo Iohan. 14. 6 *Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Soli verò electi per Christum ingrediuntur, & servantur, ut manifestum fit solos electos pertinere ad hoc ovile; Quòd Christus Matth. 25. Oves ab hœdis separat, probat in illo uno ovili, quod tum visibiliter congregatur, malos locum non habere, separantur enim hœdi, qui in particularibus ovilibus cum ovib. mixti fuerunt, ab ovibus, & solæ oves inter limites istius unius ovilis recipiuntur (loquor de visibili receptione) & concluduntur.

Sextum argumentum, Ioh. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt in hoc ovili.* & Iohan. 11. 51. *Iesus moriturus erat pro ea gēte, & non solùm pro ea gente, sed etiam ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* In quibus locis prædestinati dicuntur oves, & filii Dei, etiam cùm in erroribus gentilitatis versantur. Quare prædestinati *semper* sunt in Ecclesia. Item 2. Timoth. 2. *Firmum Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus.* & 1. Ioh. 2. *Ex nobis exierūt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent utiq; nobiscum.* Igitur etiam antequā

exi-

exirent, non erant ex nobis, sed videbantur esse. Et confirmatur ex Augustino, lib. de Corrept. & gratia, cap. 9. ubi tractans loca citata sic ait: *Quidam filij Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Dei.* Et infrà, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; hoc est, & quando videbantur ex nobis, non erant ex nobis.* Item. *Non erant filij, etiam quando videbãtur in professione & nomine filiorum.* Et infrà: *Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.* Prætereà lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 32. arguens Tyconium, qui vocaverat Corpus Domini mysticũ, id est, Ecclesiam corpus bipartitum, *Non ita, inquit, debuit appellari, non enim revera Domini Corpus est, quod cum illo non erit in æternum.*

Respondet aliquem posse duobus modis Christi membrum dici, videlicet secũdum prædestinationem, aut secundum præsentem justitiam: Illos dicit potentia esse oves, non actu; hos actu & simpliciter. Deinde dicit aliquem esse verè Christi membrum, vel ratione essentiæ, & formæ: vel ratione finis & perseverantiæ. His distinctionibus nimium confidens, pronunciat unum & eundem hominem posse esse Christi membrum, & non esse; esse secundum prædestinationem; non esse, quia Spiritum Christi non habet; esse potentia, non esse actu; esse ratione

essentiæ

essentiæ & formæ, non esse ratione finis & permanentiæ.

Mirum quomodo homo iste jesuiticetur. Non enim dicimus eos omnes actu esse de Ecclesia, qui sunt prædestinati, sed tum demum esse eos actu de Ecclesia, quando vocantur & sanctificantur; addimus neminem nisi prædestinatum efficaciter vocari & sanctificari. Vox igitur illa, *semper*, cùm dicit *quare prædestinati semper sunt de Ecclesia*, irrepit in Conclusionem, cùm non fuerit in argumento, & revera abesse debet, si simpliciter accipitur, neque à nostris doctoribus in istum sensum adjungitur. His præmissis, dico utramque distinctionem esse ineptam. Nam esse membrum Christi secundum prædestinationem, Et, esse membrum Christi secundum præsentem justitiam, sunt (si justitiam de vera justitia accipis) subalterna, non oppositæ species, quicunque enim actu & verè Christi membrum est, ille simul & secundum prædestinationem, & secundum præsentem justitiam est Christi membrum. Exempli gratia. Paulus post conversionem suam, & secundum prædestinationem, & secundum præsentem justitiam Christi membrum erat. Quanto rectiùs Augustinus dicit, aliquem esse membrum secundum prædestinationem, alium secundum nudam apparentiam, de correption. & grat. c. 9. *Quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.* Et de bono perseverantiæ c. 8. *Non*

Omnis prædestinatus non est actu in Ecclesia.

erant ex iis, quia non erant secundum propositum vocati. Hoc ipsum sanctus pater aliis verbis explicat de Correp. & grat. c. 9. *sunt filii Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt jam Deo.* Et rursus, *quidam qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo.* Hoc est, alii sunt filii Dei, quòd nobis tales videntur, apparenter tantùm. Alii sunt filii Dei, quòd Deo tales videntur, i. secundum æternam prædestinationem. Hæc distinctio habet locum in particulari, non in universali Ecclesia. Cùm igitur ex Dei verbo concludimus, in universali Ecclesia esse omnes & solos prædestinatos, non solvitur argumentum, cùm dicitur in particulari Ecclesia esse non solùm prædestinatos, sed etiam reprobos. Secunda distinctio est æquè Iesuitica. Primùm enim dicit, verè filios Dei esse, aut ratione formæ, aut ratione finis, & infert eos, qui sunt ratione formæ, non esse verè filios Dei. Esse autem aliquem vere & reipsa Dei filium, et non esse eũdem verè & reipsa Dei filium, idque simul & eodem tempore, tum erit verum, cùm duo contradictoria simul vera esse possunt. Vno verbo, dicit eos qui sunt ratione formæ, & eos, qui sunt ratione perseverantiæ filii Dei, esse verè Dei filios, & paulò post dicit, eos qui sunt ratione formæ Dei filii, non esse verè Dei filios. Deinde, neque in hac distinctione sunt oppositæ species, sed utroque membro unum & idem comprehenditur, atque

Filij Dei.

expri-

exprimitur. Quicunque enim ratione essentiæ sive formæ Dei filius est, ille etiam ratione finis sive perseverantiæ Dei filius est. Et vice versa, qui ratione finis sive perseverantiæ Dei filius est, ille etiam ratione essentiæ, sive formæ Dei filius est. Quia enim essentiam cum forma conjungit, ejus dictũ non de externa, sed de interna forma tantùm accipi potest. Christus nostram sententiam cõfirmat Iohan. 10. 28. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eos è manu patris mei.* quamquam istam vocem *ratione essentiæ*, candidè accipio, propriè enim loquendo, solus Iesus Christus ratione essentiæ sive essentialiter Dei filius est, nos omnes per adoptionem. Crediderim adversarium hoc intelligere, de formalitate adoptionis, ut sit perinde, ac si dicas, eum ratione essentiæ & formę filium esse, qui est ab illo revera in filium adoptatus. Hæc cùm ita sint, inepta est omnino responsio adversarii ad dicta Augustini. Cùm dicit, *non prædestinatos non esse verè filios, nec membra, loquitur n. de veritate finis, non de veritate essentiæ.* nam qui non est prędestinatus, is neq; ratione essentiæ, neque ratione finis Dei filius est, quanto satius fuisset, si eos secundum Augustinum divisisset, in filios secũdum veritatem, & apparẽtiam. Sæpe enim contingit, ut quis ratione apparentiæ videatur Dei filius, & non sit ratione veritatis, vel videatur nobis talis, & non sit Deo talis. Hoc ita esse Augustini dicto ab Adversario

allegato probari potest lib. 3. de doctrina Christiana c. 32. ubi docet non *vere pertinere ad corpus Christi eos, qui cum eo non sunt permansuri in æternum.* Verùm si illi non verè pertinent ad corpus Christi, qui cum eo in æternum non sunt permansuri, tum utique nulli reprobi verè pertinent ad corpus Christi. Ex omnibus enim reprobis, nemo cum eo permanebit in æternum, & quia soli prædestinati cum eo in ęternum permanebunt, sequitur solos prædestinatos verè pertinere ad corpus Christi. Intereà non inficior, eos qui cum eo in æternum non permanebunt, in particularibus Ecclesiis cum prædestinatis misceri, & sacramentorum societate uniri; atque ita secundum apparentiam esse filios Dei, tantùm dico eos ad illam universalem propriè sic dictam non pertinere. utrumque ex Augustini dicto conjici potest. l. 3. de doctrin. Christ. c. 32. *Nunc* inquit *in uno sunt, non tamen semper in uno erunt, ipse est quippe servus commemoratus in Euangelio, cujus dominus cùm venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis ponet.* Vide, nunc sunt non prædestinati cum prædestinatis in uno, sed semper non erunt in uno, hoc est, in particularibus Ecclesiis sunt quasi in uno, sed semper non erunt in uno, nam universalem Ecclesiam nunquam ingredientur, Hortus enim ille ut antè docui, est caritatis vallo circumquaque conclusus, & dominus ejus falli non potest, falleretur autem, si hypocritæ in eum ingrederentur,

rentur, nec rectè conclusus esse diceretur, si cuilibet in eum introrumpere liceret.

Concludimus igitur non prædestinatos, neque verè Christi discipulos, neque verè Dei filios fuisse, ne tum quidem, cùm tales viderentur, & vocarentur, ut rectè docet Augustinus de Corrept. & gratia. c. 9.

CAPUT VII.

De perfectis.

Ecclesiam jam ante distinximus in triumphantem & militantem, qui sunt in Ecclesia triumphante, devictis hostibus & corona gloriæ accepta, sunt perfecti. Qui verò sunt in Ecclesia militante, adhuc adversus carnem & peccatum pugnant. Et ut Apostolus in persona omnium regeneratorum docet, mente serviunt legi Dei, carne verò serviunt legi peccati, vel ut idem inquit, delectantur lege Dei secundum interiorem hominem, sed vident aliam legem in membris suis rebellantem legi mentis suæ, & usque adeò captivos reddentem ipsos legi peccati, ut quod bonum est, & quod approbant, non faciant, & econtra, quod malum est, & quod improbant, perpetrent, atq; ita gementes sub onere suæ infirmitatis dicant, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis?* Hoc certamen in sanctissimis quibusque durat, donec à corpore hujus mortis liberentur, ut manifestum sit *Perfecti.*

omnes eos, qui hoc certamine nondum defuncti sunt, esse imperfectos. Huic imperfectioni & Beata virgo obnoxia fuit, quamdiu in hac terra militavit. Valet enim illa generalis regula, *quis dabit mundum de immundo?* Iob 14. 4. De solo Christo dicit scriptura, *quòd non noverit peccatum*, 2. *Cor.* 5. 21. *Et quòd non sit dolus in ore ejus inventus.* Esai. 53. 9. Causam hujus rei dicit Euangelista, esse, quòd sit conceptus à spiritu sancto.

Omnis homo imperfectus. Hanc omnium hominum imperfectionem passim docet scriptura Psal. 32. 6. *omnis sanctus orat pro* remissione peccatorum. 1. Reg. 8. 46. *non est homo qui non peccet.* Prov. 24. 16. *justus cadit septies.* Eccles. 7. 21. *non est justus qui faciat bonum, & non peccet.* Matt. 6. 12. omnes sancti jubentur dicere, *dimitte nobis debita nostra.* 1. Ioh. 1. 8. Apostolus dicit, *eum esse mendacem, qui se peccatum habere negat.* Iacob. 3. 2. *in multis offendimus omnes.* Patrum dicta quæ Adversarius allegat, idem probant. Cyprian. serm. de Eleëmosyna: *Quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.* Nazianzenus. orat. 2. de Iulia. *Omni prorsus peccato vacare, supra humanæ naturæ modum Deus constituit.* Ambros. serm. 16. in psal. 119. *Non potest hoc justus negare, quia nemo sine peccato est.* Hieronymus. libr. 2. contra Pelagianos. *Iustos esse concedo, sine omni autem peccato esse non assentior.* Hæc adeò manifesta sunt, ut ipse adversarius coactus sit dicere, ne-

minem

minem in hac vita absolutè perfectum esse. Si hæc diligenter expendent Monachi, fortasse pudebit eos suæ supererogationis, & omnis nundinationis monasticæ.

Quod subjungit de venialibus peccatis, & asserit ea *non tollere justitiam*, neque *reddere homines Deo inimicos*, gravissimè impingit. Nullum enim peccatum per se veniale est. Namut inquit Apostolus ex Mose, *maledictus est, qui non manet in omnibus, quæ sunt scripta in libro legis*. Gal. 3. 10. Remittuntur quidem sanctis peccata, sed hoc fit ob meritum Christi. Deinde propheta dicit, *peccata separare Deum à nobis* Esa. 59. 2. quòd autem Deus non fiat sanctis, cùm peccant, inimicus, eidem Christi merito tribuendum est. Scitè Iohan. epistola prima, capite secundo v. 1. *Filioli mei nolite peccare, si verò peccaveritis, advocatum habetis apud Deum Iesum Christum illum justum, & ille est propitiatio pro peccatis nostris, & non tantùm pro peccatis nostris, sed pro peccatis totius mundi.* Hæc eadem causa est, quare sancti non perdant justitiam, cùm in peccata labuntur. Iustitia enim illorum est Christus, cui qui semel per veram fidem insitus est, excidere non potest.

Peccatum veniale.

Adversario obrepsit somnus, cùm scriberet: Augustinum excipere beatam Virginem. epist. enim 89. & 85. item libro de perfectione justitiæ, & libro 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 14. Augustinus hoc non docet, sed rejicit hanc dis-

Diva Virgo.

putationem, & planè recusat de ea re disputare, fortasse ne ordinem & seriem disputationis rumpat, nec à vero scopo argumenti ad aliam materiam quæ ad rem non facit abripiatur.

CAPUT VIII.

De magnis peccatoribus.

Magni peccatores. VT Ecclesia omnium consensu distinguitur in triumphantem & in militantem: ita magni peccatores distinguuntur in eos, qui magnis peccatis onusti resipiscunt; & in eos, qui iis onusti in peccatis perseverant & moriuntur. His duabus distinctionibus observatis, respondemus illos esse in Ecclesia Vniversali, propriè sic dicta: hos in militante externa. Primum exemplis probari potest. Petrus enim Christum ter abjuravit, Iohannes bis Angelum adoravit, Salomon coluit idola, David alterius thorum violavit, & hominem innocentem nefariè interemit, Aaron polluit se idololatria. Loth admisit incestum, omnia hæc peccata fuerunt nefaria & execranda; & tamen hi omnes fuerunt Ecclesiæ universalis, propriè sic dictę, vera membra. Licet enim graviter lapsi sint, tamen neque totaliter lapsi sunt, neque in peccatis suis perseverarunt, sed resipuerunt, & salvi facti sunt. Econtrà Simon magus per Baptismum ad externam militantis Ecclesiæ societatem adjunctus, Iudas etjam in Apostolorum collegium cooptatus est,

ambo

ambo tamē intra ſepta univerſalis Eccleſiæ propriè ſic dictæ nunquam recepti fuerunt, de ſimilibus eſt idem judicium. Hi ſæpè tollerantur in Eccleſia ad tempus, & tādem per diſciplinam Eccleſiaſticam ejiciuntur, aliquando verò, vel quia Paſtores ignavi ſunt & improbi, vel quià diſciplina collapſa eſt, vel deinde quia major eſt peccantiū potentia, quàm ut ſine magnis turbis coërceri poſsint, ne notantur quidē ab Eccleſia particulari, in qua vivunt. Exempla ſunt paſsim obvia. Quos adverſarius Confeſsioniſtas vocet, & quo jure dicat eos negare manifeſtos peccatores eſſe in Eccleſia, atque ita ſimpliciter illis attribuat, quod illi non niſi ſub hac diſtinctione docent, ipſe viderit.

Parabolæ de area, reti, convivio nuptiali, decem virginibus, & ovili, noſtram ſententiam probant. Omnia enim hæc notant Eccleſiam militantem, eamq́ue particularem, in qua externa ſocietate eſſe magnos & manifeſtos peccatores, etiam non reſipiſcentes, jam antè exemplo Simonis Magi, & Iudæ oſtendimus. Diſciplina eccleſiaſtica, quam ſtabilit Chriſtus Matth. 18. Mali item Præpoſiti, quos debemus audire, non imitari, de quibus eſt apud Matthæum cap. 23. & nequam ille, qui percutit conſervos ſuos, de quo eſt apud Matth. c. 24. & inceſtus, de quo agit Apoſtolus, 1. Cor. 5. Contentiones item, quas Paulus, 1. Cor. 1. dicit eſſe inter eos, fuerūt in Eccleſia militante particulari, eodem modo

vitia quæ reprehendit Euangelista in Revelatione c. 2. & 3. & peccata, quæ taxarunt Prophetæ, fuerunt in Ecclesia militante particulari. Ad parabolas ab Augustino contra Donatistas allegatas jam antè respondimus eas designare Ecclesiam militantem particularem, & ut uno verbo omnia; Nos dicimus manifestos peccatores, eosque in peccatis perseverantes & morientes non esse in Ecclesia universali propriè sic dicta. ut hoc refutet Bellarminus, docet eos esse in Ecclesia militante particulari, atque hoc est illud stupendum Iesuitarum acumen.

Ecclesia licet sit una, tamen distingui potest.

Quod dicit Augustinũ cùm idem responderet Donatistis, quod nos Papistis, non facere duas Ecclesias, sed distinguere eam secundum tempora & partes, accipimus, sed quare Adversarius nostram sententiam, quæ planè eadem est, non eodem candore interpretatur? Equidem quos ille Confessionistas & Calvinistas vocat, illi non faciunt duas aut plures universales Ecclesias, sed credunt Vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam, extra hanc asserunt, neminem servari posse. Hanc verò unicam universalem Ecclesiam secundum tempora distinguunt, in militantem & triumphantem, & illam in universalem impropriè sic dictam, & particularem, atq; utramque rursus secundum vocationem in internam, & externam, sive visibilem & invisibilem; neque propterea plures reipsa Ecclesias faciunt, quàm si Bellarminum secũdum ætatem distinguant, in

Varia Ecclesiæ distinctio.

Bel-

Bellarminum puerum & Bellarminum senem, vel secundum statum, in Bellarminum Monachum & Bellarminum Cardinalem, vel secundum monasticam professionem, in Bellarminũ vovẽtem paupertatem, & Bellarminum affluentem regiis opibus, propterea plures reipsa Bellarminos faciant. Disce monache, non protinus rem in diversas partes actu secari, si secũdum diversam rationem aliter atque aliter accipitur atq; distinguitur, sed ita necesse fuit eum nugari, ut quos argumentis refutare nequit, eorum sententiam falsa & inepta recitatione apud suos invisam redderet, ne nihil scripsisse videretur.

Quin & zizania de quibus Cyprianus loquitur, lib. 3. epist. 3. & Episcopi, qui varia hominum genera regunt, de quibus est apud Nazianzenum oratione prima apologetica, item illi, qui dissolutam vitam amplectuntur, & se dedunt voluptatibus, de quibus est apud Chrysost. in Psalm. 39. & peccatores, de quibus est apud Hieronymum, dialogo contra Luciferianos, & mali, de quibus est apud Augustinum tractatu 6. in Iohannem, sunt in Ecclesia militante particulari, in qua nos non negamus esse manifestos peccatores, eosque in peccatis suis perseverantes. Neque juvat Adversarium, quod Augustinus dicit peccatores esse in Ecclesia Catholica. Nam & particularis Ecclesia, quæ Catholicam fidem amplectitur, Catholica dicitur. quamquã non inficior malos etiam esse in Ecclesia

clesia Catholica impropriè sic dicta, & secundum externã vocationem considerata. AEque dilutum est, quod de pœnitentiæ sacramento affert. Est enim in controversia positum, an pœnitentia, sit sacramentum, deinde vera & salutaris pœnitentia non est nisi in militante particulari Ecclesia, & per hoc in Catholica impropriè sic dicta; Nos verò non de militante particulari, nec de Catholica impropriè sic dicta; sed de universali propriè sic dicta disputamus, in eaque peccatores eos, qui in peccatis suis perseverant, & moriuntur, esse pernegamus.

Impurus in impuritate perseverãs non est in Ecclesia catholica propriè sic dicta.

Esaias enim cap. 52. vers. 11. *Recedite* inquit, *recedite, exite inde, nolite pollutum tangere, exite de medio ejus.* & Paulus 2. Cor. 6. 17. hunc locum de Ecclesia explicat, dicens, *Exite è medio eorum & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite, tum ego excipiam vos. Et ero vobis pro patre, & vos eritis mihi pro filiis & filiabus.* Ex quorum locorum collatione colligitur impurũ (qui scilicet in impuritate perseverat) non excipi à Deo, neq; ejus filium esse, ac proinde non pertinere ad Ecclesiam universalem propriè sic dictam. Qui enim ad eam pertinent, illi & soli, & omnes excipiuntur à Deo, & sunt ei pro filiis, atque ipse est illis pro patre.

Adversarius cùm argumentum refutare non possit, affert more suo duas diversas explicationes patrum, unam Augustini, alteram Cyrilli, iisque propositis putat se argumento satisfecisse.

sed

ſed hac reſponſione ſeipſum jugulat. Auguſtinus enim libro poſt collationem contra Donatiſtas, cap. 18. & 20. & in breviculo collationis tertiæ diei, dicit hoc dictum intelligi *de ſeparatione, quæ fit animo & moribus, non autem de corporali diſceſſione a templo & ſacramentis*. quam reſponſionem nos accipimus, & dicimus impios propterea cum Eccleſia Catholica propriè ſic dicta non copulari, quòd neque cum Chriſto, qui eſt Caput Eccleſiæ, neque cum ejus membris ſpirituali vinculo copulentur. Nam cùm duplex ſit conjunctio, una corporalis, altera animi, ſive ſpiritualis, non negamus impios cum piis in particularibus Eccleſiis externa, id eſt, corporali ſocietate conjungi, ſed quia ſpirituali vinculo neque cum Chriſto, neque cum ejus membris copulantur, cum Eccleſia univerſali propriè ſic dicta, non majorem neq; arctiorem communionem aut ſocietatem habent, quàm habeat lux cum tenebris, Chriſtus cum Belial, fidelis cum infideli, aut templum Dei cum ſimulachris. Hoc Adverſarii judicio verum eſſe inde conſtat, quòd ad hæc omnia ne unum quidem verbum reſpondet. Cyrilli ſententia adverſarium non juvat. Etſi enim dicat hoc propriè ad Babylonios, myſticè ad Chriſtianos pertinete, eóſque juberi à cœtibus, templis, ſacrificiis & conjugiis infidelium abſtinere, tamen non negat illos, quos Paulus hic à Deo excipi dicit, eſſe Dei filios, & Deum eſſe eorum patrem. cùm

Duplex conjunctio cum Eccleſia.

verò

verò neque peccatores (qui ſcilicet in peccatis perſeverant) ſint Dei filii, neque Deus illorum pater ſit; ſequitur neceſſariò eos à Deo ad Eccleſiæ Catholicæ propriè ſic dictæ ſocietatem non excipi.

Vnus panis. Deinde 1. Cor. 10. v. 17. *unus* (inquit Apoſtolus) *panis, unum Corpus multi ſumus.* ut aũt panis non conficitur ex frumento & palea, ſed ex frumẽto ſolo mundatoq́; ita Eccleſia, quæ pani aſſimilatur, non ex piis & impiis ſimul, ſed ex ſolis fidelibus iiſq́; mundatis conficitur. Confirmat noſtram ſentẽtiam quod adverſarius ex Cypriano l. 1. epiſt. 6. ad Magnum, & Irenæus lib. 3. c. 19. dicit, Ex multis hominibus per aquam baptiſmi, *vel* per ſpiritum ſanctum, qui Ezech. 36. & alibi, aqua dicitur, fieri unum populum Dei, quemadmodum ex multis granis per aquam fit unus panis. Per particulam enim disjunctivam; *vel*, innuit duplicem eſſe rationem populi Dei, unam externam, quæ fit per aquam baptiſmi, alteram internam quæ fit per ſpiritum ſanctum. Nos autem diſputamus de hoc poſteriori modo, & dicimus peccatores, qui in peccatis ſuis perſeverant, ad populum Dei hoc modo acceptum non pertinere, non enim habent ſpiritum ſanctum. Hoc videns adverſarius dicit *panem vel ignavia, vel malitia piſtoris, quandoque ex frumento & palea confici*, quod quidem nos non negamus; ſed reſpondemus ſpiritum ſanctum neque malitioſum, neq; ignavum eſſe, & ob eam cauſam

non

non permittere, ut peccatores in peccatis perseverantes, in Communionem sui & populi Dei recipiantur. Ecclesia enim ut antè ex Augustino docuimus, *est hortus conclusus, cujus custos neque fallere, neque falli potest*, quod si verùm est, quomodo peccator in peccatis perseverans, à quo abhorret, quem odit, quem execratur Custos Israëlis, in ejus societatem vel irrepet vel irrumpet? Et huic responsioni diffidens affert tertiam, & dicit scriptum esse, *unus panis, unum Corpus sumus, qui de uno pane participamus*, participant autem de uno boni & mali, alioqui non arguerentur à Paulo 1. cor 11. *qui indignè communicant.* sed scire debuit Bellarminus, duplicem esse panem, unum, qui ex frumento & aqua conficitur; alterum, qui è Cœlo discendit; illum participant etiam illi, qui in peccatis perseverant; hunc soli credentes, qui resipiscunt, & seriam pœnitentiam agunt. De hoc loquitur Chrysostomus, *quid est*, inquiens, *panis? Corpus Christi; quid fiunt sumentes? Corpus Christi.* Ad illum accommodari potest, quod inquit Augustinus, l.2. contra litteras Petilian. c. 108. *Nec ideo putandi sunt esse in Christi Corpore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum ejus spiritualiter participes fiunt.* & paulò post propter hanc causam rectè pronunciat eod. cap. *Ipsi* (indignè sumētes) *non sunt in Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per cōnexum & contractum, crescit in incrementū Dei.* Et paulò post. *Illa Ecclesia in petra est, sicut dicit*

cit Dominus, super petram ædificabo Ecclesiam meam, Illi autem in arena ædificant; sicut dicit Dominus, qui audit verba mea & non facit ea, assimulabo eum viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam.

Ad hæc Paulus ad Rom. 8. verſ. 9. *Qui non habet* (inquit) *spiritum Christi, hic non est ejus.* & 1. Cor. 12. verſ. 13. *Uno spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus.* Ex quo ſequitur eos qui non habent ſpiritũ Chriſti, ut ſunt omnes peccatores, non eſſe membra Chriſti.

Mortuum membrum

In reſponſione ad hoc argumentum adverſarius nimium Ieſuiticatur, dicit enim peccatores in peccatis perſeverantes eſſe mortua membra, & tamen vera membra Chriſti, ac ſi dicat hominem mortuum eſſe verum hominem, quo nihil abſurdius dici poteſt. Cæteri Papiſtæ, ut Iohannes de turri Cremata libr. 1. c. 57. Alexander de Ales, Hugo, Thomas, Petrus Aſotus, Melchior Canus, & alii, concedunt malos non eſſe membra vera, nec ſimpliciter Corporis Eccleſiæ, ſed tantùm ſecundum quid, & æquivocè, ab his diſſentiens Bellarminus, docet eos eſſe & mortua & vera membra Chriſti, ex quo intelligi poteſt, quàm ſint conſtantes in dogmatis ſuis defendendis.

Aut enim novi Loioliſtæ, aut veteres Papiſtæ errant. Eſſe enim eos verè, & ſimpliciter membra Chriſti, & eſſe eoſdem ſecũdum quid & æquivocè membra Chriſti, tum erit verum, cùm

adverſarius

adversarius probabit se & verè & simpliciter esse, & non esse monachum. Iam verò peccatores in peccatis perseverantes, verè & simpliciter sunt membra diaboli, ut docet scriptura. Num adversarius vult eum, qui verè & simpliciter est membrū Diaboli, esse etiam verè & simpliciter membrum Christi? Nimis Iesuitica est hæc Iesuiticatio, sed audi tertiam Iesuiticationem; dicit papam considerari ut membrum, quà membrum, & ut instrumentum operationis, illa consideratione Papam malum non esse verum membrum; hac verò esse verum membrum, quia est instrumentū, per quod Deus est efficax. Quid audio? unus & idem homo, ut Papa malus, est verùm Christi membrum, & non est? Redi ad te Bellarmine, & concede illum vel esse, vel non esse verum membrum. Nam eum simul simpliciter esse, & non esse, tum credemus, cùm nobis persuaseris duas contradicentes esse simul veras. Adde eum non simpliciter, sed secundum quid tantùm & æquivocè membrum esse, si quà est instrumentum operationis, & non quà membrum, membrum esse dicitur. Deinde ut concedimus quædam membra esse instrumenta; ita nequaquā damus omnia instrumenta esse membra, particularis enim affirmativa non potest in universalem affirmativam converti; deinde stylus, atramentum, papyrus, & libri sunt instrumenta Bellarmini, membra ejus non sunt, ut taceam hanc distinctionem non complecti om-

Non omne instrumētum est membrū.

nes eos, qui externa societate ad Ecclesiam militantem pertinent. Laici enim, mulieres, & infantes, non sunt instrumenta, quibus Deus in colligenda Ecclesia sua utitur. Hi igitur etsi ad externam Ecclesiæ societatem pertinent; tamen ratione operationis non sunt instrumēta, ac proinde nec membra, quà membra. Quid iis igitur faciet Bellarminus? num eos æquivocè, an simpliciter, an verò utroque modo mēbra esse statuet? Quamquā crediderim eum de Laicis peccatoribus non admodum sollicitum esse. satis enim & abundè argumento satisfecerit, si malum Papam verum Ecclesiæ membrum esse probaverit, ne si verum membrum non est, verum Ecclesiæ caput esse nequeat, atque ita ruat universa Romanensis Hierarchia. Papa igitur peccator & in peccatis perseverās & moriens (cujusmodi multos esse & fuisse docent Platina, Stella, Barns, Balæus, & alii, qui illorum vitas & res gestas descripserunt) verè & simpliciter Christi membrum est? atqui scriptura pronunciat ejusmodi homines esse verè & simpliciter membra Diaboli. Num tu Christo vindicabis, quos scriptura Diabolo mancipat? At inquies, etsi quâ membra, non sunt vera membra: tamen qua instrumenta operationis, vera ejus membra sunt. Quid audio? Ipse Diabolus est Dei Instrumentum, usus est enim Deus ejus opera in affligendo Iobo, in decipiendo Achabo, ut de aliis taceam. Num dices Diabolum quà instrumentum operationis,

Qui simpliciter & per se est membrum Diaboli, ille nec simpliciter nec per se est membrū Christi.

rationis, esse verum Dei membrum? Appage has Iesuiticationes, & audi Apostolum pronunciantem, nullam esse concordiam Christo cum Belial. Et ob eam causam neque Belial, neque filios Belial vera Christi membra esse posse.

Huc accedit membra mortua non magis esse vera membra, quàm membra picta corporis vivi, neque hoc tantùm locum habet in corpore naturali, ut concedit adversarius, & docet Arist. lib. 2. de anima, lib. 1. & lib. 4. Meteor. c. 12. sed etiam in Corpore mystico. Corpus enim mysticum, quod est Ecclesia, est congruenter coagmentatũ & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, atque vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementũ capit corpori conveniens, ad sui ipsius extructionem per caritatem. Sed membra mortua & æquivocè sic dicta, neque congruẽter coagmentata sunt, neque ex vi intus agente incrementum capiunt, neque per caritatem exstruuntur. Hoc argumentum esse invictum, docent ista, quæ Bellarminus ad ejus solutionem affert, & pudorem injicit adversariis, quoties recordantur se sanctum Dei martyrem Iohannem Husium, propter hujus doctrinæ assertionem, tam scelerate, & tam perfidè interemisse. *Membra mortua non sunt vera mẽbra.*

Iam verò Ecclesia in Symbolo apostolico dicitur *sancta*. ad quod Adversarius respõdet, eam dici sanctam, quòd Baptismus, quo baptizati sunt, & professio fidei, quam profitentur, exter- *Sancta.*

na etiam unio, qua Ecclesiæ adhærent, sit sancta. sed hæc omnia nostram sententiam confirmant. Baptismus en. extra verum usum administratus, qualis est Baptismus impiorum, non est simpliciter sanctus, sed sancti Baptismi profanatio. Professio quæ non proficiscitur ex vera fide, non est simpliciter sancta, sed sanctæ professionis vana jactantia; externa item unio cum Ecclesia, si ab interna unione remota est, non est simpliciter sancta, sed sanctæ unionis vanum & inane simulachrum, ex quibus sequitur, pertinaces peccatores, qui sola externa sacramentorum societate cum Ecclesia juncti sunt, non esse simpliciter sanctos, sed sanctorum hominum umbras & imagines. AEquè dilutū est, quod dicit Ecclesiam à meliori parte denominari sanctam. Nam hoc tantùm convenit Ecclesiæ militanti externæ: Nos verò disputamus de Ecclesia catholica propriè sic dicta, *quæ est tota pulchra, & macula nulla existit in ea.* Cant. 4.6.7. Quæ addit, nostram sententiā adhuc magis probant, si enim sanctum esse, est Ecclesiæ proprium, & quidem quarto modo, (ut opinor adversarium velle) tum tota Ecclesia, & omnes verè & actu ad eam pertinentes, & soli & semper sancti sunt. Deinde si tota Ecclesia est Deo cōsecrata, ejusque caput Christus est, tum impii qui in peccatis suis perseverant, ejus vera mēbra non sunt. Nam hi neq; Deo consecrati sunt, neque Christus horū caput est.

Ecclesia à meliori parte sancta dicitur

Huc accedit eum non habere Deum patrem,

(ut

(ut inquit Cyprianus de unitate Ecclesiæ) qui non habet Ecclesiam matrem; nec habere Ecclesiam matrem, qui non habet Deum patrem; improbos autem non habere Deum patrem. Nam ut inquit Paulus Rō.8.14; *Qui spiritu Dei aguntur, illi sunt filij Dei.* & Iohan. 8.44. de improbis dicitur, *Vos ex patre diabolo estis.* & 1. Iohan. 3.10. *Per hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli, omnis qui non est justus, non est ex Deo.* Soli igitur illi, qui resipiscunt, sunt filii Dei, qui verò in peccatis perseverant, sunt filii diaboli, ob eandemq; causam illi sunt vera Ecclesiæ membra; hi non sunt. Quod ut adversarius solvat, dicit, aliquem tribus modis filium Dei esse: videlicet, *productione, imitatione & doctrina.* Addit malos, eosque in peccatis perseverantes, non imitatione, neque regeneratione, sed doctrina filios Dei & membra Ecclesiæ esse. Sed hoc est falsum, non enim qui quovis modo docetur, est filius Dei; sed qui à Deo docetur, is demum est filius Dei: impii verò à Deo non docētur. Nam qui à Deo docentur, *veniunt ad ipsum.* Iohan. 6. 45. *cognoscunt Deum,* Ierem. 31. 34. *habent unctionē, & manēt in illo.* 1. Iohan. 2. 27. sed impii neq; unctionē habent, neq; in illo manēt, neq; Deum cognoscūt, neq; ad eum veniūt, non igitur docētur à Deo, & per consequens non sunt doctrinâ filii Dei. Quanto satius fuisset dicere, *quosdā verè & reipsa esse filios Dei, quosdā nomine tenus,* illi regēratione, & imitatione & doctrina sunt filii

Quot modis quis sit filius Dei.

Dei. Nam regenerãtur, atq; docentur à Deo, & regenerati edoctiq; imitãtur Deũ. Hi verò neq; regeneratione, neq; doctrina, neque imitatione, sed solo nomine filii sunt, non enim regenerantur, neque edocentur à Deo. soli enim regenerati à Deo edocentur; ut enim mens hominis illuminetur salutari Dei cognitione, & cor erudiatur ad ipsius obsequium, necesse est, ut priùs regeneretur. Homo enim non regeneratus non magis intelligit res istas, quàm dura silex aut Marpesia Cautes; qui verò in hunc modum à Deo docetur, illius mens cognitione Dei illustratur, et cor ad ipsius obsequium flectitur, hoc est, ille venit ad Deum, ut Iohannes loquitur, vel imitatur Deum, ut Bellarminus loquitur, ex quo intelligitur, quàm absurdum sit, quod dicit, eos esse doctrina, non imitatione filios; cùm omnes et soli à Deo edocti eum imitentur. Atque ut regeneratio præcedit institutionem, ita institutio præcedit imitationem. Nam ut non potes ab eo discere, priusquam per regenerationem existas, ita non potes eũdem imitari, priusquàm eum per institutionẽ cognoscas; sed peccatores in peccatis perseverãtes, non regenerantur à Deo, et quia non regenerãtur, non edocẽtur à Deo, et quia non edocẽtur à Deo, non possunt Deũ imitari. Ex quibus apparet eos nec regeneratione, nec institutiõe, nec doctrina filios Dei esse. At inquies habent externam cognitionẽ articulorũ fidei. Hoc nos nõ negamus, sed di-

cimus non esse in controversia positum, an impii habeant externam articulorũ fidei cognitionem; sed disputari, *an doceantur à Deo, & fiant doctrina filii Dei?* hoc verò nos pernegamus. Quin absurdum dictu hoc ipsum est; ut enim extra Ecclesiam nemo doceri potest, priusquam per generationem incipiat esse: ita etiam in Ecclesia, nemo à Deo docetur, priusquam ipsi per regenerationem auferatur cor lapideum, et detur cor carnum, ut doctrinam recipere possit. Ex quo intelligitur, eum non esse doctrina filium Dei, qui regeneratione ejusdem filius non est.

Quartum, quintum, sextum, septimum, argumentum sciens prætereo, quòd non meminerim me ea apud nostros doctores legere. Notabile autem est, quod inquit Augustinus lib. 2. contra Cresc. cap. 21. *Ac per hoc etiam nesciente Ecclesia, propter malam pollutámque conscientiam, dãnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata.* lib. 4. contra Donatistas. cap. 3. *Quia nec isti Ecclesiæ devoti sunt, qui videntur esse intus, & contra Christum vivunt, id est, contra Christi mãdata faciunt: nec omnino ad Ecclesiam pertinere judicãdi sunt, quam sic ipse mundat lavacro aquæ in verbo, ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam non habẽtem maculam aut rugam: Et, quod si in ista Ecclesia non sunt, ad cujus membra non pertinent, non sunt in Ecclesia, de qua dicitur: Una est columba mea; aut afferat qui po-*

Damnati non sunt in corpore Christi.

test, hujus columbæ membra esse, qui seculo verbis, non factis renūciant. Et, *si eos in suis membris nec illa columba cognoscit: & talibus, si in eadem perversitate permanserint, dicturus est Deus, Non novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem, videntur esse in Ecclesia, sed non sunt.* Et lib. 6. contra Donatistas c. 3. *Illa columba unica, pudica, & casta, sponsa sine macula, & ruga, hortus cōclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum, & cætera quæ de illa simpliciter dicta sunt, non intelligitur.* (lege intelligũtur) *nisi in bonis & sanctis & justis.* Et lib. 7. cap. 51. contra Donatistas. *Hæc* (domus) *in bonis fidelibus* est, & sanctis Dei servis ubique dispersis, et spirituali unitate devinctis eadem communione sacramētorum, sive se facie noverint, sive non noverint. Alios autem ita dici constat esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ, pacificæque justitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Ex hoc numero innumerabili, non solũ turba intus premens cor paucorum in tantæ multitudinis comparatione sanctorum, sed etiam diruptis retibus hæreses et schismata existunt in iis qui jam magis ex domo, quàm in domo dicendi sunt, de quibus dicitur: Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis, separationes enim sunt, jam etiam corporaliter separati, quàm illi qui in terris carnaliter et corporaliter vivunt, et spiritualiter separati sunt. De unitate Ecclesiæ cap. 20. *Multi tales sunt in sa-*

cramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia. Et, *Quid si fictus accedat, atq; adversus veritatem & Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis peragitur in eo illa solennitas, nunquid reconciliatur, nunquid inseritur? Absit, sicut ergo jam denuò communicans nondũ insertus est: sic & ãtequàm visibiliter excommunicatur, quisquis contra veritatem, qua cõvincitur, & arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est.* Et contra Donatistas, lib. 3. cap. 18. *Pax hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritualis, vel ad spiritualia concedi obediẽtia* (mendum esse puto) *proficiẽtis. In malis aũt non est, sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerentur, & baptizent, & baptizentur.* Et, *Quamvis qui intus cum gemitu tolerãtur, ad columbæ unitatem, & illam gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam & rugam non pertineant; tamen si corrigantur, incipiunt ad columbam pertinere.* Et lib. 1. c. 17. *Ita; sive intus versari videãtur, sive aperte foris sint, quod caro est, caro est; sive in area sua sterilitate perseveret, sive occasione tẽtationis, tanquã vẽto extrà tollatur, quod palea est, palea est, & semper ab illius Ecclesiæ, quoæ sine macula & ruga est, unitate divisus est, etiã qui cõgregatione sanctorũ in carnali obduratione miscetur.* Horum perspicuitate perculsus dicit Brentium, Calvinum, & alios Catholicos finxisse duas Ecclesias. Pro suis Catholicis non habeo respondere. Calvino & Brentio falsam opinionem affingit, ut argumentũ, quod

solvere non potest, transiliat. Non magis enim Calvinus & Brentius duas Ecclesias constituūt, quàm Augustinus: sed unam sanctam Catholicam Ecclesiam cum sacra Scriptura & orthodoxa antiquitate credunt & confitentur. Atque ut sancti Patres, quemadmodum ipse Bellarminus refert, dicunt se non facere duas Ecclesias, *sed ejus partes & tempora distinguere*, partes, quia aliter boni, aliter mali ad eam pertinent; tempora, quia aliter se nunc habet, atque aliter post resurrectionem futura est. Planè eodem modo Calvinus & Brentius, non faciunt duas Ecclesias, sed ejus diversos respectus & qualitates (ut hanc doctrinam illustriorem redderent) annotarūt; unam n. & eandem Ecclesiā alio respectu militantem, alio triumphantem, eandémque diverso respectu visibilem, & invisibilē, internam & externam dici posse docuerūt. Non protinus aūt rem multiplicat, qui ejus diversos respectus diligenter explicat. Etsi n. Christus (quod & Bellarmin. ex patribus affert) olim ut mortalis, nūc ut immortalis cōsideratur; tamen est unus & idē Christus. Quid igitur obstat, quo minus Ecclesia, licet in una parte militet, in altera triumphet, & secundū internam vocationem invisibilis, secundū externā visibilis esse dicatur, sit una & eadem Ecclesia? si adversarius eodē cādore legeret scripta Calvini & Brētii, quo Augustini, puderet eum hujus accusationis. Cùm ad argumētū accedit, hæret ei aqua, ut est in proverb. dicit n. ex Augusti-

Calvinus & Brent. tantum credunt unam Ecclesiam.

Eam distingunt, non multiplicant.

Mali non sunt in Ecclesia ut mēbra, sed ut corrupti humores.

Augustino, *malos non esse in Ecclesia ut membra; sed ut corruptos humores, qui revera sunt in corpore, & tamen sunt etiam vere separati à membris Corporis*. Hoc enim quomodo cum superiorib. conciliare possit, non video. Istic enim asseruit, malos esse membra Ecclesiæ simpliciter, nunc dicit eos ne membra quidem, sed malos humores esse, eosque à membris separatos. Quæ duo tum simul vera erunt, cùm duæ contradicentes simul veræ esse poterunt. Quantas nobis turbas ciëret Bellarminus, si vel Calvinum vel Brentium in hunc modum constrictum teneret. Etsi autem hoc exemplum de corruptis humoribus, non per omnia congruat, placet id tamen, & dicimus corruptos humores non esse de substãtia corporis; neque esse vera membra corporis; & ob eam causam malos non esse de substantia Ecclesiæ, neque ejus vera mẽbra. Esse autem malos & bonos aliter atque aliter in Ecclesia, sed in externa militante nos nunquam negamus. sed quid hoc ad rem? non enim de hac, sed de universali propriè sic dicta contendimus. Porrò malam gratiam meretur Bellarminus de Papa Romano, paulò enim antè, fortè ut illi blandiretur, asseruit, Papam malum esse Catholicæ Ecclesiæ verum membrum, idque simpliciter sic dictum. Nunc occultè in Calvini & Brentii castra transfugiens dicit, malos in malitia perseverantes non esse membra, sed malos humores à membris separatos. Quid si Papa fuerit malus,

Corrupti humores non sunt de substãtia corporis humani.

Malus papa an sit verum Ecclesiæ membrum

erit

eritne & ille non membrum Ecclesiæ, sed malus humor à membris separatus? Num Iesuitæ eum, qui ne membrũ quidem, sed malus humor est, isque à membris separatus, Ecclesiæ caput nobis esse persuadebunt? Equidem malus humor non est de substantia corporis, sed est ejus corruptela, idque planè corrumpit, nisi efficacibus remediis ejiciatur, mali igitur papæ, quales esse omnes, docent illi, qui eorum vitas scriptis literis prodiderunt, non sunt de substantia Ecclesiæ, sed sunt Ecclesiæ corruptela, & corrumpent totum corpus, nisi verbo Dei convellantur, & tandem spiritu oris ejus prorsus conficiantur.

Magdeburgensium argumentum de duabus Ecclesiis, una bonorum, altera malorum, non puto adversarium candidè proponere, docēt enim cẽturiatores cum cæteris sociis Augustanæ cõfessionis, esse tantùm unam sanctam catholicam Ecclesiam, fortasse dicunt de Ecclesia malorum, quemadmodum scriptura loquitur de Ecclesia malignantiũ, psalm. 25. 5. sed quid hoc ad rem? non possum autẽ hoc argumentũ ulterius persequi, nam cùm hæc scriberem, non habebam centurias ad manum, ut locum expendere possem.

Adhæc Christus operatur in membris suis, non autem operatur in impiis. Hoc concesso negat illud quod prius positũ est, sed refellitur ab Apostolo, ad Ephesios 4, cap. vers. 16. qui dicit *Corpus hoc id est*, Ecclesiã *ex capite*, hoc est, ex Christo

Christus operatur in membris suis.

Christo *congruenter coagmētari, & compingi per omnes suppeditatas cōmissuras, & capere incremētum corpori conveniēs ex vi intus agente.* Equidē si Ecclesia coagmētatur & cōpingitur ex Christo, tum utique Christus illam coagmentat & compingit, & si Ecclesia incrementum capit à capite, ex vi intus agēte, tum utiq; Christus singulis membris per vim intus agētem incrementum instillat, & suppeditat. Quæ omnia si vera sunt, ut sunt verissima, tum summæ impudentiæ fuerit negare Christum operari in omnib. membris suis. Plura de operationibus Christi in omnibus membris, in toto isto capite, & passim in scriptura. Repetit veterem coccysmum, & dicit quædā mēbra Christi esse arida & mortua, in iis autem non operari Christum, sed hoc jam antè refutatum, & ab ipso Bellarmino, ut qui malos non mēbra, sed malos humores à membris separatos esse asseruit, rejectum est. Ipse Aristoteles docet arida sive mortua membra non magis esse mēbra vivi animalis quàm membra picta, ut antè ostensum est. Huc accedit malos neque membra Christi, neque cives Ecclesiæ esse posse, sunt enim membra diaboli, & cives regni satanæ, sed qui sunt satanæ mancipati, & sunt mēbra diaboli, illos simpliciter & verè esse Christi membra est impossibile. Neque nodū solvit quòd dicit eos externa professione ad regnum Christi, & morum improbitate ad regnum diaboli pertinere, non enim de externa militante

Mortua membra non sunt simpliciter membra corporis viventis.

Mali sunt membra Satanæ.

Eccle-

Ecclesia, sed de universali eaq; propriè sic dicta disputamus. Vt taceam militantem Ecclesiam, propter internam, quę universalis propriè sic dictæ pars est, regnum Dei appellari.

Caput IX.

De occultis infidelibus.

An occulti infideles pertineant ad Ecclesiam?

Ostensurus occultos infideles esse in Ecclesia, toto capite ludit eadem æqui vocatione, qua antè. Prout enim Ecclesia consideratur, sunt in Ecclesia, & non sunt in Ecclesia. Si Ecclesiam accipis pro cætu eorũ, qui efficaciter vocantur ad Christi communionem, tum non sunt in Ecclesia, si verò eam intelligis cætum eorum, qui externo præconio ad Christi communionem vocantur, tum concedimus eos esse in Ecclesia. Hæc distinctio sufficeret ad totius hujus capitis tam prolixi explicationem. Quia tamen Adversario libuit hanc quæstionem tam prolixè tractare, & nobis propositum est nihil eorum, quæ adversarius contra veritatem disputat, intactum relinquere; et hoc nobis caput pervolutandum est. Vt autem Ecclesia, ita & occulti Infideles diversimode considerantur, alii qui externa tantùm professione cum Ecclesia juncti sunt, sed suo tempore resipiscunt, & ad Deum convertuntur, alii, qui in infidelitate sua perseverant & moriuntur. Hi aliter, atque aliter pertinent ad Ecclesiam: illi quandiu infide-

Occulti infideles sunt diversi.

les

les sunt, & sacramentorum societate fruuntur, pertinent ad particularem externam; ad illam verò universalem propriè sic dictam non actu, sed prædestinatione tantùm pertinent, cùm autem resipiscunt, incipiunt etiam actu esse in universali illa Ecclesia. Hi nullo modo pertinent ad universalem Ecclesiam propriè sic dictam, sed tantùm cum externa particulari societatem habent, vel quod eodem redit, hi non interna, sed externa unione cum Ecclesia particulari juncti sunt. Hoc cùm Calvinus rectè doceret, et assumeretur à Ioanne de Turre cremata, lib. 4. de Eccles. part. 2. l. 20. ut docet adversarius: tamen voluit adversarius alium loquendi modum sequi, & asserere occultos infideles (intellige eos qui in infidelitate perseverant) qui solà externa professione cum fidelibus juncti sunt, esse veras partes, atque adeò etiam membra licet arida & mortua corporis Ecclesiæ, quo ostendit se non de re, sed de modo loquendi cum Calvino contendere, & meram logomachiam sine causa suscipere. Nam si sola externa professione cum fidelibus juncti sunt, tum utique sunt tantùm in particulari Ecclesia, & quidem externa tantùm unione, quid igitur controvertitur adversarius? Quod autem dicit eos esse veras partes, & quidem membra Ecclesiæ, explicatione eget. Si putat eos esse vera membra, vel esse simpliciter membra Ecclesiæ, quod antè de magnis peccatoribus affirmavit, errat. Nam si sunt vera

membra

membra, tum non sunt membra mortua, membra enim mortua, non magis esse membra, quàm membra picta, ante ex Aristotele docuimus, & si sola professione externa in Ecclesia sunt, tum neque simpliciter membra, neque simpliciter in Ecclesia sunt; quî enim id simpliciter in Ecclesia esse dices, quod quodam respectu tantùm, nempe externa professione in ea esse cõcedis? Quod dicit Calvinistas & Confessionistas asserere occultos infideles nullo modo pertinere ad veram Ecclesiam, non per omnia verum est. Docent enim occultos infideles, scilicet eos, qui in peccatis suis perseverant, & moriuntur, nullo modo pertinere ad Ecclesiam Catholicam propriè sic dictam: non docent tamen eos nullo modo pertinere ad veram Ecclesiam. Concedunt enim, imò antequam Bellarminus nasceretur, docebant occultos infideles, & Hypocritas esse in particulari Ecclesia, docuerunt item particularẽ Ecclesiã esse verã Ecclesiã, tota n. particularis multitudo, utpote, Romana, Corinthiaca, Ephesina, Philippẽsis, &c. per prçconiũ verbi ad Christi cõmunionem convocata, est vera Ecclesia, à meliori scilicet parte sic dicta. In hac Ecclesia docet Apostolus etiã suo tempore fuisse occultos infideles, qua fronte igitur dicit Calvinum negare occultos infideles pertinere ad veram Ecclesiam? Num illi verum est idem, quod universale, aut judicat Calvinũ esse tam bardũ, ut inter verũ & universale distinguere nequeat?

Calvinus & confessionistæ nõ simpliciter negant infideles in Ecclesia esse.

Legimus

Legimus 1.Iohan. 2. *Et nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* & concedimus Antichristos, quamdiu adhuc latent, & virus suũ nondum evomuerũt, esse occultos infideles, eosdemque cùm vel judicio Ecclesiæ ejiciuntur, vel sponte erumpunt, exire quidem ex nobis, sed non fuisse ex nobis. Verùm quid hoc ad rem? Num hinc aliud sequitur, quàm occultos infideles externa professione tantùm pertinere ad particularem visibilem Ecclesiam?

Exiverũt ex nobis, et non erant ex nobis.

Non urgemus, quòd Augustinus per hos quodam loco intelligit non prædestinatos. Nam & occulti infideles, hoc est, Antichristi & hæretici in malitia perseverantes, sunt non prædestinati. Tantum dicimus cum Augustino tractatu 3. in epist. Iohan. *eos esse in Ecclesia, tanquam malos humores in corpore humano*, ac quemadmodũ mali humores non sunt membra, nedũ verè & simpliciter mẽbra corporis humani: ita illi non sunt verè & simpliciter membra Ecclesiæ. Equidem cùm homo humores istos, vel per vomitum, vel per secessum ejicit, non dicitur membra sua ejicere, neque ulla parte debilitari. Ergo cùm isti nebulones vel per Ecclesiæ judicium exterminantur, vel proprio judicio discedunt, non truncatur Ecclesia suis membris, neque ulla parte debilitatur. Hinc est, quod Augustinus dicit *eos etiam, tum cùm sacramentis utuntur, non esse in*

Ecclesia, sibi mutuò servire debent. Denique ut omnia membra (quemadmodum idem Apostolus eodem capite docet) faciunt unum corpus; ita omnes illi qui ad Ecclesiam pertinent, faciunt unam Ecclesiam. Postremò, ut omnia membra, quēadmodum docetur Ephes. 4. vers. 16. ex capite per spiritum vitale incrementum capiunt, ita omnes illi, qui ad Ecclesiam pertinent, à Christo per spiritum sanctum incrementum capiunt, & crescunt, dum evadant omnes in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi. Si quis hanc similitudinem ulterius urgebit, aberrabit. Ex his autem quantò rectiùs collegerit Christū vivificare omnia membra sua, & alere atque sustentare ea per vim intus agentem; quemadmodū omnia membra à capite vivificantur, & ab eodem per vim intus agentem foventur, aluntur & sustentantur. Iam verò falsum est, ullum membrū esse in corpore humano, quod sit vitæ expers. Nam ut antè ex Aristotele docui, membrum mortuum, sive aridum non est magis membrum, quàm membrum pictum. Credibile est Adversarium hoc vidisse, non enim utitur voce (*membrū*) sed (*pars*) verùm mali humores in corpore humano, quib. assimilātur occulti infideles, ne partes quidem corporis sūt, quemadmodū antè ostēdimus: & hoc adversariū vidisse crediderim, dicit enim *non partes, sed partium genera*. Verùm si partium genera, illi sunt partes, negamus ullam partem humani corporis,

&

& sensu & vita carere, & omnia illa, quæ sunt in corpore humano, sensu, vitaq; carentia, non esse veras partes. Ex quo sequitur, & eos homines, qui fide & caritate destituūtur, esse quidem in visibili externa Ecclesia, sed Ecclesiæ propriè sic dictæ neq; vera membra neq; veras partes esse.

Lutherani & Calvinistæ non simpliciter negant, eos qui fide interna carent, esse in Ecclesia, quin dicunt eos esse in visibili particulari Ecclesia, tantùm negant esse in universali propriè & absolutè sic dicta. & hoc est, quod Augustinus dicit *eos esse, & non esse in Ecclesia*; eos *videri esse intus sed non esse*; eos *esse corporali & externa communione cum Ecclesia junctos, spirituali & invisibili compage separatos*. Et ob eam caussam stultum dictu est, Calvinistas & Lutheranos tantùm invisibilem Ecclesiam statuere. statuunt quidem invisibilem Ecclesiam, sed non simpliciter neque tantùm. Quæ autem est illa dialectica? Lutherani κατά τι, & quodam respectu, faciunt Ecclesiam invisibilem: Ergo faciunt eam ἁπλῶς invisibilem. Audi igitur cum tuis eruditissimis viris, qui hoc Calvinistis & Lutheranis objicitis, à secūdum quid ad simpliciter non valere consequentiam.

An quidã fide carentes sint in Ecclesia?

Deinde esse illos eruditissimos viros calumniatores ostendit ipse Bellarminus, cùm dicit Lutheranos & Calvinistas statuere quædam signa visibilia Ecclesiæ & externa, nimirum prædicationem verbi Dei, & sacramentorum admi-

dunt, & vel proprio motu separātur, vel Ecclesiæ judicio ejiciūtur, in confesso est, Eosdē interna, non externa separatione separatos esse, concedit ipse adversarius, atq; ita apertè transit in castra Calvini. Verùm si occulti isti nebulones tantùm externa, non interna societate cum Ecclesia juncti sunt: tum utique, secundum quid tantùm, & non simpliciter in Ecclesia sunt. Malè igitur facit Bellarminus, dum sollicitè probat occultos hæreticos esse tantùm externa societate cum Ecclesia junctos, (quod nostræ Ecclesiæ semper, etiam antequam Bellarminus nasceretur, docuerunt) & concludit eos esse simpliciter in Ecclesia. Porrò si tantùm externa, & non interna societate cum Ecclesia juncti sunt; tum tantùm in visibili particulari Ecclesia sunt. Externa enim societas eaq; ab interna conjunctione separata, tantùm locum habet in externa particulari visibili Ecclesia. Istam autem internam invisibilem universalē Ecclesiam, quam in symbolo Apostolorum confitemur, & quæ absolutè & propriè sic dicta est, non attingit. Atque hoc est, quod Augustinus dicit, *eos non esse in Ecclesia, & videri in ea esse.* Et, *esse in Ecclesia, & non esse.* Et, *esse Christianos, & incipere Christianos fieri, si convertantur.* Et, *esse intus, &, esse foris.* Quæ nullo modo conciliari possunt, si Ecclesiam, & cæteros terminos, hoc est, subjectum & prædicatum eodem modo accipias. Exempli gratia.

Occulti infideles secū dum quid tantū sunt in Ecclesia.

Hæretici

Hæretici occulti sunt in Ecclesia.
Hæretici occulti non sunt in Ecclesia.

Etiamsi omnes omnium sophistarum arculas excusseris: tamen non probaveris nobis, hæc ambo simpliciter vera & falsa esse. In tales laqueos necesse est, ut incidant, qui veritate convicti de verbis non necessariam lagomachiam ad Ecclesiam turbandam contra viros doctos suscipiunt.

Rationes quas Adversarius allegat, sunt ineptæ. Dicit *Ecclesiam assimilari corpori humano*, Rom. 12. & 1. Cor. 12. *In corpore autem humano esse varia partium genera, quædam vivere & sentire, quædam vivere & non sentire, quædam neque vivere neque sentire.* Hinc infert quædam membra Ecclesiæ habere fidem & caritatem, hoc est vivere & sentire, quædam habere fidem, sed non habere charitatem, hoc est vivere & non sentire, quædam neque fidem neque charitatem habere, hoc est neque vivere neque sentire. *Ecclesia assimilatur corpori humano.*

Ipse adversarius in hac eadem disputatione docet similitudines non in omnibus convenire. Consistit autem similitudo corporis & Ecclesiæ in eo, ut Apostolus Rom. 12. 6. explicat, quòd sicut membra corporis varias habent functiones, ita qui sunt in Ecclesia non sunt omnes ejusdem muneris, sed habent diversas functiones. Deinde ut membra (quemadmodum docet Apostolus, 1. Corinth. 12. vers. 21. & deinceps) sibi mutuò serviunt: ita & illi qui sunt in *Similitudo corporis et Ecclesiæ in quo potissimum cõsistat.*

Ecclesia, de unitate Eccles. c. 20. eósque præcisos esse antequam excommunicantur, ibidem, *& tolerari quidem eos cum gemitu intus, sed ad illam gloriosam Ecclesiam non pertinere.* lib. 3. contra Donatistas c. 18. *& esse eos in Ecclesia ut palea est in tritico.* contra Donatist. lib. 7. c. 51. Vno verbo sunt in Ecclesia, & non sunt in Ecclesia; sunt in Ecclesia, scilicet illa, quæ adhuc per verbi prędicationem & sacramentorum administrationem colligitur, non sunt in Ecclesia, scilicet illa, quæ est gloriosa, neque habet maculam aut rugam, hoc est, ut nos loquimur, sunt in visibili particulari, non sunt in universali propriè sive absolutè sic dicta.

Occulti infideles habent aliquando jurisdictionẽ in Ecclesia.

Æquè dilutum est, quod contendit occultos infideles habere quandoque jurisdictionem in Ecclesia. Concedimus enim ministros Ecclesię quandoque esse hypocritas & occultos hostes Christi, sed hi ministerio suo non funguntur nisi in Ecclesia particulari visibili, ejusque non sunt vera membra, nedum vera capita, sed sunt in ea tanquam mali humores in corpore humano, ut antè in genere de omnibus occultis infidelibus ex Augustino docui. Nihilominus tamen Deus sæpe per illorum ministerium est efficax. Hujus enim efficacia non pendet à qualitate ministrantium, sed à benigna voluntate ejus, qui ministerium instituit. Totum autem hoc argumẽtum intelligimus de ministerio Ecclesiastico, non de jurisdictione civili, hanc e-

Deus quãdoq; est efficax per malos ministros.

enim

enim ad Episcopos non pertinere ostendimus, cùm de Papa Romano disputaremus.

Patres, quos adversarius pro se allegat, nostram sententiam probant. Nam quod Origen. hom. 21. in Iosue dicit, *In Ierusalem esse quosdam Iebusæos*, de externa terrestri *Ierusalem*, non de interna cælesti intelligi potest. Cælestem enim Ierusalem nunquam attigerunt Iebusæi, quin ne in externa terrestri cives unquam fuerunt. Eodem modo, Hæretici sunt in Ecclesia externa terrestri, hoc est, visibili particulari, non in interna Cælesti, hoc est, universali illa propriè sic dicta. Hanc enim nunquam attingunt, & in illa non sunt nisi externa professione, intus & spiritualiter revera à fidelium compage separati, ut loquitur Augustinus.

Iebusæi sunt in Ierusalem.

Eodem modo Augustinus libr. 3. de baptismo, cap. 18. legitur autem capite 19. *Huius fraternæ caritatis inimici, sive apertè foris sint, sive intus esse videantur, pseudochristiani sunt, & Antichristi, inventis enim occasionibus foras exeunt. sed etiamsi occasiones desint, cùm intus videntur, ab illa invisibili caritatis compage separati sunt.* Huiusmodi multa occurrunt apud Augustinū, & à nobis superiori capite quædam relata, & ab adversario hic allegata sunt. docere igitur Augustinum Hæreticos esse externa, non interna conjunctione cum Ecclesia junctos, eosdem esse invisibili caritatis compage separatos, priusquam exeunt, hoc est, etiam antequam se pro-

nistrationem, & constanter docere, ubicunque hæc signa conspiciuntur, ibi esse veram Ecclesiam Christi, quia tamen solos justos & pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt, & nemo potest certò scire, qui sunt verè justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exteriùs præ se ferunt, cùm certum sit multos esse ubiq; hypocritas, & falsos fratres, idcirco nostri rectè concludunt eos facere Ecclesiam invisibilem. Nam si dicunt ibi esse Ecclesiam, ubi ista signa conspiciuntur, tum utique statuunt Ecclesiam modo quodam esse visibilem. Deinde non dicunt solos bonos ptinere ad Ecclesiam; sed disertis verbis scribunt bonos & malos simul esse in Ecclesia. Multo minus dicunt solos bonos pertinere ad veram Ecclesiam, docent enim non solùm universalem, sed etiam particularem esse veram Ecclesiam, illam simpliciter, hanc κατά τι. Et ob eam causam faciunt quidam Ecclesiam invisibilem, sed κατά τι tantùm, non simpliciter. Dicere igitur, Lutherani quodam respectu, & κατά τι tantùm, faciunt Ecclesiam invisibilem, Ergo faciunt eam prorsus invisibilem, viderit ipse Adversarius cum suis eruditissimis viris quàm sit logicè dictum. Deinde expendat quot passib. ipse ab hac sentētia absit. Capite enim secundo docuit, esse tres modos existendi in Ecclesia, nēpe interna fide, & externa professione simul; interna fide tantùm; & externa professione tantùm, & judicet an non ex hac doctrina idem

An Lutherani statuant Ecclesiam invisibilem.

inferri

inferri posſit; quia enim nemo certò ſcire poteſt, quis habeat internam fidem, rectè docent, qui dicunt Ieſuitas ſtatuere Eccleſiam inviſibilem: inde autem inferre Ieſuitas docere Eccleſiam eſſe ſimpliciter inviſibilem, illis fortaſſe aut ſtomachum aut cachinnum moveret. Tantundem igitur & nos ejus argumento cõmovemur. Fruſtrà metuit ut cum Calviniſtis & Lutheranis ſentire judicetur, ſi omnes illos ab Eccleſia excludat, qui veram fidem in corde non habent, propterea quòd Lutherani & Calviniſtæ dicunt juſtitiam in ſola fide conſiſtere. Non enim ſimpliciter ab Eccleſia excludunt omnes eos, qui veram fidem non habent, neque quia dicunt nos ſola fide juſtificari, omnem juſtitiam in ſola fide ſitam eſſe ſtatuũt, ſed de his in ſequentib. plura. *Ex Adverſariorum doctrina colligitur Eccleſiam κατά τι eſſe inviſibilem.*

Poſt hæc dicit Scripturæ traditiones & omnia planè dogmata ex Eccleſiæ teſtimonio pendere, atque inde infert infallibili veritate conſtare debere, quæ ſit vera Eccleſia, aliter fore omnia incerta. Sed ſcripturæ traditionis eſſe αὐτοπίϛυς & dogmata omnia Chriſtianæ relligionis eſſe vera, quatenus ex veris principiis, hoc eſt, ex Scripturæ traditinib. extructa ſũt, probavimus, cùm de verbo Dei diſputaremus. Nihilominus tamẽ concedimus infallibili veritate conſtare debere, quæ ſit verſia Eccleſia, ut ſcilicet ſciamus ad quẽ cætum nos adjungere debeamus. Quòd autem inde infert, non fidem, aut aliquid inviſibile & occultũ requiri, ut quis aliquo modo ad Eccle- *Traditiones Scripturæ.*

possumus certò scire, hunc vel illum cætum esse veram Ecclesiam. Externa autem forma est externa convocatio, facta secundum Dei verbum per ministrum ad eam rem constitutum. Quicunq; igitur cætus per præconium Dei verbi ad Christi cõmunionem convocatur, sine omni cõtroversia est Ecclesia Dei. Ex adversarii doctrina idem colligitur, Nam cùm ille faciat tres modos existendi in Ecclesia, unum corpore; alterum anima; tertium corpore & anima simul; ut antè ostendimus, potest tantum videre, quinam primo, non qui secundo, vel tertio modo existant in Ecclesia, & si hoc sufficit ad salvandam Ecclesiæ visibilitatem, quare non sufficeret ad eandem visibilitatem salvandam modus existendi in Ecclesia per externam convocationem? Hac enim sola visibilis Ecclesia convocatur, & est id quod est, est enim specifica differentia, qua à cæteris cætibus, qui non sunt veræ Ecclesiæ, distinguitur.

Externa Ecclesiæ forma.

An & quatenus occulti infideles ad Ecclesiam pertineãt.

Sequitur, ut ostendam, an & quatenus occulti infideles ad Ecclesiam pertineant. Antè distinximus eos in perseverãtes, & non perseverãtes in infidelitate sua. Hi secundum æternam Dei prædestinationem semper pertinent ad Ecclesiam, actu etiam quando ad Deum convertuntur. Illi ad universalem hanc propriè sic dictam prorsus non pertinent, ad particularem autem externam visibilem pertinent, quando externa vocatione ad ejus societatem convocantur,

tur,

tur; & in ea esse censentur, quamdiu neque publica censura ejiciuntur, neque se proprio motu ab ea separant. Hæc omnia credo Adversarium probare, excepto eo, quòd illos ad universalem Ecclesiam propriè sic dictam prorsus non pertinere asserimus. Hoc igitur nobis probandũ est. Constat autem id ex iis, quæ jam diximus. Deinde omnes & singuli qui ad hanc Ecclesiá pertinent, efficaciter vocantur, & ædificantur supra Christum 1. Cor. 3. Eph. 2. Neque nodum solvit, quod adversarius dicit formam Ecclesiæ non esse fidem internam, sed externam Dei confessionem. Dicit enim Apostolus, Ephes. 5. vers. 14. fideles esse *domesticos Dei, concives Sanctorum, & superstructos supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum existente uno angulari lapide ipso Iesu Christo.* Iam verò nullo alio vinculo quàm fide & spiritu super hoc fundamentum exstruuntur. Quod n. dicit de externa confessione, frivolum est. neque n. hypocritæ, qui confessionem externam edunt, super hoc fundamentũ exstruuutur, & cõtrà infantes, etsi eam edere non possunt, tamen super hoc fundamentũ exstruuntur; ut autem per Spiritũ & fidem super Christum exstruuntur, ita & per Spiritum sanctum cum Christo capite, & cum ejus corpore Ecclesia conjunguntur. Apostolus illud docet, cùm asserit: *Ecclesiam esse corpus & complementum Christi,* Eph. 1. 22. Impii verò & occulti peccatores in peccatis suis perseverãtes,

dicit, nunquam totam Ecclesiam in unum locum, sed sparsim in varia loca convenire. Omnis enim cætus quocunque loco, in Christi nomine congregatus habet hanc promissionem, *Ubi duo vel tres in meo nomine congregati sunt, istic sum in medio eorum.* itaque si in una urbe sint plures Parochiæ, & in singulis Parochiis populus convocatur, quilibet conventus ad audiendum Dei verbum, & sacramenta participanda congregatus, est vera Ecclesia. Exemplum hujus rei habemus in epist. ad Rõ. c. 16. Nã cùm omnes Christiani qui erant Corinthi, facerent unam Corinthiacam Ecclesiam, legimus ad Rom. c. 16. v. 5. familiam Aquilæ & Priscillæ, qui eo tempore Corinthi domicilium habebãt, ab Apostolo Ecclesiam dici, & nos totum conventum parochialem, in quo multæ fidelium familiæ congregatæ sunt, Ecclesiæ nomine spoliabimus? Quod de Concilio subjungit, dilutius est, concilium enim æquivocè sic dictum, ut Hierosolymitanum, in quo Christus blasphemiæ damnatus est, Constantiense, in quo symbolum Apostolorum, *Ecclesia est electorum congregatio.* hæreseos damnatum est, & Tridentinũ, in quo Romanorum rituales fabulæ Dei verbo exæquatæ sunt, posse extra Ecclesiam congregari, non negamus; sed verum concilium propriè sic dictum, extra Ecclesiam congregari non potest. Quilibet enim cætus in Christi nomine congregatus, est Ecclesia, ut antè ostensum est.

Omnis particulares cætus in Christi nomine cõgregatus est Ecclesia.

Concilium an sit Ecclesia?

Ex

Ex quo sequitur, & concilium in Christi nomine congregatum, esse Ecclesiam, & ob eam causam concilium extra Ecclesiam esse non posse. Intereà concilium sive impropriè, sive propriè sic dictum sit, errare posse, neque synodica decreta esse infallibilis veritatis, ostendimus, cùm de Conciliis disputaremus, neque tamen propterea omnia revocantur in dubium, omnia enim dogmata sive in synodis, sive alibi approbata, eatenus vera sunt, quatenus cum Dei verbo congruunt, ut ostendimus cùm de principiis Christianorum dogmatum disputaremus. Non movet nos quod dicit *nisi sciamus, qui sint qui Ecclesiam constituunt, nos scire non posse, quæ sit, sed tantùm ubi sit. Vel potius ubi lateat vera Ecclesia, & hoc ipsum non sufficere ad visibilitatem Ecclesiæ salvandam.* Ex notis enim & signis, quæ Deus Ecclesiæ apposuit, possumus judicare, quemlibet cœtum vel esse, vel non esse Ecclesiam, possumus item judicare, singulos homines ad hanc vel ad illam particularẽ Ecclesiam pertinere. An verò iidem etiam Catholicæ Ecclesiæ absolutè sic dictæ vera membra sint, ut judicemus, non est necesse. Hoc enim judicium sibi Deus reservavit 2. Tim. 2. 19. *Fundamentum Dei stat, novit Dominus qui sint sui.* Vel ut apertiùs dicam, possumus infallibili certitudine scire, quinam homines externa forma pertineant ad Ecclesiam externam particularem, vel quod idem est, ex externa Ecclesiæ forma possu-

Concilia possunt errare.

ſiam pertineat, etiam Adverſarii doctrina antè tradita, falſum eſt. Nam cùm ſint tres modi exiſtendi in Eccleſia, ut ipſe lib. 3. cap. 2. de Ecclesia docuit, & unus modus ſit per internam fidem, illa autem sit occulta, ſequitur Adverſarium sibi non conſtare, & aut iſtic erraſſe, cùm doceret aliquem per internam fidem pertinere ad Eccleſiam, aut hoc loco errare, cùm dicit, *nihil occultum requiri, ut quis aliquo modo ad Eccleſiam pertineat.* Nam utrumque simul verum eſſe non poteſt. Deinde duplex eſt compages, sive conjunctio Ecclesiæ, una interna, altera externa; una ſpiritualis, altera corporalis. Hæc eſt per verbi prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem, illa per fidem & Spiritum ſanctum, qui eſt quaſi anima Ecclesiæ. Hæc facit formam externam, ſensibilem, & in oculos incurrentem; illa facit formam internam, quæ ex ſolis effectis cognoſcitur, utroque igitur modo poſſumus certi fieri de Ecclesia. Nam ſi conſpexerimus verbum Dei in aliquo cœtu purè prædicari, & Sacramenta ritè adminiſtrari, sine errore poſſumus judicare, illum cœtum eſſe veram Eccleſiam; ſi item in aliquo cœtu præter ea quæ diximus, conſpexerimus vera effecta, sive fructus fidei & ſpiritus ſancti, eum item cætum poſſumus ſine errore dicere eſſe veram Eccleſiam. Quod dicit cognitionem ex effectis non eſſe certam, ſed conjecturalem, inſcitiam arguit, forma enim interna & eſſentialis, ex nulla re, quàm

Adverſarius ſibi cõtradicit.

Poſſumus ſine errore judicare, quinam cætus ſit Eccleſia.

ex actione, sive effectis suis cognosci potest. Huc pertinet illud, ꝙ Christus inquit *unaquæq; arbor ex fructu suo cognoscitur* Luc. 6. vers. 44. Matth. 7. 16. *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Nec refert, quod dicit, effectus fidei esse voluntarios. Loquimur enim non de actionibus futuris, quæ sunt contingentes; sed de actionibus iis, quæ jam actu exstant. Philosophus tales propositiones vocat inexistentes, easque quà existunt, necessarias esse docet. Magis ridiculum est, quod dicit nobis non constare certitudine infallibili, cùm hominem videmus, ipsum, quem videmus esse hominem, propterea quòd sancti aliquando Angelos viderint, cùm se homines videre arbitrarentur. Rara enim & extra ordinem facta miracula non tollunt judicii sensuum certitudinem, nisi fatearis, transformabis omnia in Academicam ἀκαταληψίαν. Nec facit ad rem, quod dicit hypocritas ita posse crescere, ut verè credentes numero vincant. Cætus enim hic, aut ille, non à majori, sed à meliori parte Ecclesia dicitur. Nec refert, quòd non possumus dicere, hic aut ille, in hoc cætu, ad Ecclesiam interna societate pertinet: satis est scire, in hoc cætu esse aliquos Deo placentes, & verè fideles, qui vera Ecclesiæ membra sunt, atque hoc inde colligere possumus, quòd ipsa veritas dicit 1. Cor. 15. 57. *Fratres mei stabiles estote, immoti, eminentes, in opere domini, ut qui sciatis, laborem vestrum non esse inanem in Domino.* Minus firmum est, quod dicit

Iudicium sensuum est certum.

tes, neque ipsum complementum, neque ejus complementi pars sunt. Deinde Corpus Christi propriè sic dictum est *congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras*, Eph. 4. 16. sed peccatores qui in peccatis suis perseverant & moriũtur, neq; in hunc modum coagmentati, neq; compacti sunt. Huc accedit totum corpus per *vim intus agentem capere incrementum corpori conveniens pro mensura unicujusq; membri*, idq; ad suiipsius exstructionem per charitatem, sed impii qui in peccatis suis moriuntur, neque unquam ad Deum convertuntur, neque habent vim illam intus agentem, neque incrementum capiunt, neque exstruuntur per caritatem. Deniq; omnes illi, qui ad hoc corpus verè pertinent, compinguntur cum sanctis, ædificantur in Christo, perveniunt in unitatem fidei, & cognitionis filii Dei, Eph. 4. 13. iidem obtinent caput & augescunt incremento Dei, sunt inter se, & cum capite per commissuras & compages compacti & coagmentati, Col. 2. 19. Hi omnes diliguntur à Christo, sanctificantur ab eodem, & tandem gloriosi sistuntur, non habentes maculas & rugas, Eph. 5. 28. vivificantur spiritu Christi, nutriuntur & foventur à Christo, Ephes. 5. 29. Num horum quidquam de occultis peccatoribus, qui in peccatis suis pereunt et moriuntur, rectè dici potest? Nihil est igitur certius, quàm eos ad Ecclesiam universalem, propriè sic dictam, non pertinere.

Ar-

Argumenta quæ adversarius posuit, non prosequar; quia non memini ea à doctoribus nostris, ad hanc rem probandam allegari.

LIBER TERTIVS.

CAPUT PRIMUM.

An Ecclesia sit visibilis?

AFFERT primo loco quasdam rapsodias ex nostris doctoribus, quib. probet eos fluctuare in doctrina de Ecclesia, & nunc dicere eam esse visibilem, nunc invisibilem. Sed nostri eam neque simpliciter visibilem, neq; simpliciter invisibilē esse dicūt; sed utrumq; κατά τι de ea dici posse contendunt. Vna enim & eadem Ecclesia, eaq; vera, si externa vocatione censetur, externa visibilis; si interna vocatione censetur, interna & invisibilis dicitur. Neq; tamen propterea duplex Ecclesia statuitur, non magis, quàm si unum & eundem Christum, pro diversa temporis ratione, moriturū, & immortalem esse dicas. Deinde distribuimus eam in particularem, & universalem, eamq́ue in universalem propriè, & impropriè sic dictam, ut libro primo ostensum est; universalem propriè sic dictam dicimus esse invisibilem, particulares verò omnes fatemur visibiles esse, posse tamen ad eas angustias adigi, ut Tyrannorum *An Ecclesia sit visibilis?*

& persequentium oculos lateant.

CAPUT II.

Ecclesiam particularem esse visibilem.

An Eccles. sit visibilis?

Disputaturus an Ecclesia sit visibilis, dat se plusquam pueriliter. Nam cùm dicamus Ecclesiam quadá ratione esse visibilem, quadam invisibilem, & adversarius ipse asserat tres esse modos existendi in Ecclesia, videlicet, Corpore tantùm; & anima tantùm; & utroq; simul; atque ille modus existendi in Ecclesia, qui fit anima tantùm, etiam ipso adversario teste videri nequeat. Cumque alii dicant Ecclesiam quadam ratione externam, & internam dici, & internam tantùm mentis oculis conspici posse: debuisset Adversarius nomen distinguere, ut intelligere possemus, quomodo vocem acciperet, priusquam probare conaretur Ecclesiam esse visibilem. Quòd autem dicit veram Ecclesiam esse visibilem, eum non juvat: verum enim & invisibile, non sunt opposita. Deinde vera & unica Ecclesia est, quam diversa ratione visibilem, & invisibilem esse pronunciamus. Non igitur simpliciter quæritur, an Ecclesia sit visibilis, neque quæstio est, an vera Christi Ecclesia sit visibilis? Nam & particularis & universalis Ecclesia est vera Christi Ecclesia. Si igitur quæris, an particularis Ecclesia sit visibilis? Respondemus quòd sic: si verò quæris, an universalis Ecclesia sit visibilis?

sibilis?

sibilis? respondemus quòd non.

Argumenta, quæ adversarius allegat, tantùm probant particularem esse visibilem. Moses enim Numer. vicesimo capite, v. 4. particularem Ecclesiam eduxerat in solitudinem. Eidem benedicebat Salomon, 1. Reg. 8. 14. Adam enim, Abel, Enoch, Noach, Abraham, Isaäc, Iacob, & alii sancti viri, qui jam migraverant in gaudium sui domini, pertinebant ad universalem Ecclesiam; & tamen à Mose in desertum non ducebantur, neque iis Rex Salomon benedicebat. Deinde erant inter eos multi Hypocritę, quos Deus *non approbabat*, ut docet Paulus, 1. ad Corinth. 10, 5. sed omnes illos, qui efficaciter ad Christi communionem vocantur, quique vera & viva corporis Christi membra sunt, approbat Dominus.

Ecclesia particularis est visibilis.

Quod Christus dicit Math. 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, adversarii sententiam destruit, ex eo enim loco firmiter colligitur, fundamentum Ecclesiæ non videri humanis oculis. Christus enim est Ecclesiæ fundamentum, & illa petra, super quam Ecclesia ædificatur; sed Christus antequam in carnem veniret, non humanis oculis sed fide tantùm videbatur, Iohan. 8. 56. *Abraham vidit diem meum & gavisus est.* Intellexerũt hoc Iudæi dicentes, *nondum quinquaginta annos habes, & Abraham vidisti?* Postq̃ verò carnem assumpsit, quâ homo, & quâ redemptor sive fundamentum Ecclesiæ

Petra.

consideratur. Qua homo, humanis oculis videri poterat, quâ verò redemptor sive fundamentum Ecclesiæ, non poterat ullo humano sensu percipi. Docet hoc ipse Christus ad Petrum loquens, Matth. 16. 17. *Caro & sanguis hoc tibi non retexit, sed pater meus, qui in cœlo est.* Ex quo sequitur, & Ecclesiam, quatenus super hoc fundamentum ædificatur, humanis oculis comprehendi non posse. Si confessionem Petri pro fundamento accipis, res eòdem redit. Confessio enim Petri per Metonymiam accipitur pro ipsa re, quam confessus est, quæ est Christus. Quod verò ille subjungit de Papa Romano, risum movet, scit enim illum non esse Ecclesiæ fundamentum, & nos hoc refutavimus, cùm de Papa Romano disputaremus.

Apud Matthæum cap. decimo octavo, versu decimo septimo, Christus nos ad pastores sive præsbyteros, qui particularibus Ecclesiis præsunt, ablegat, eodem modo Paulus hortatur presbyteros Asiæ, Actor. 20. v. 26. ut particularibus Ecclesiis, quibus præpositi erant, attendant. Ita & Paulus persecutus est particulares Ecclesias, Gal. 1. 13. & Phil. 3. 6. Nam eos qui in cælo triumphabant, attingere non poterat. Quamquā hoc nihil ad rem faciat, possumus enim eos persequi, quos non videmus, quin & domus Dei, in & qua versabatur Timotheus 1. Tim. 3. 15. erat particularis Ecclesia, quæ erat Ephesi. Eadem dicitur columna & firmamentū veritatis, quia ve-

ritas in singulis particularibus Ecclesiis custoditur, quamquam in hac custodienda multi gradus sint, aliæ enim particulares Ecclesiæ exactiùs custodiunt hanc veritatem, quàm aliæ, simpliciter verò & perfectè eam custodit & sequitur universalis Ecclesia propriè sic dicta.

Locus Psal. 19, v. 5. est allegoricus, atque hęc allegoria nata est ex mala versione. In Hebræo est, *Soli posuit tabernaculum in eis*. Esaiæ secundo capite & Micheæ quarto capite describitur splendor Ecclesiæ novi Testamenti. Danielis quarto capite legimus Ecclesiam duraturam esse in æternum; sed quid hæc ad rem? An, quia Ecclesia novi Testamenti admodum splendebit, & Christi regnum semper durabit, Ecclesia universalis erit visibilis?

Locus Mat. 5. v. 14. est de ministris particularium Ecclesiarum intelligendus, eadem particularis Ecclesia assimilatur areæ, ovili, convivio, & reti. Ejusdem nota erat circumcisio. Quidam enim non circumcisi pertinebant ad universalem Ecclesiam, & multi circumcisi non pertinebant ad eam. Hinc Paulus ad Rom. c. 2. distinguit Iudæos in eos qui *in propatulo* erant judæi, & in eos qui *intus circumcisi, & in occulto judæi erant*; quod non fecisset, si judicasset omnes & solos circumcisos ad Ecclesiam Catholicam pertinere.

An ad Ecclesiam pertineant sanctorum animæ.

Graviter impingit Bellarminus, cùm dicit Ecclesiam esse societatem, non Angelorum, ne-

que animarum, sed hominum. Quid enim? an animas sub altari quiescentes, & petentes vindi∣ctam sanguinis sui ex Ecclesia profligabit? An inquam maximam Ecclesiæ partem, quæ nũc in cælo triumphat ab Ecclesia separabit? Equidem ipse Bellarminus si hoc argumentum bene ex∣pendet, videbit particularem tantùm Ecclesiam esse hominum, non angelorum neque anima∣rum societatem.

Zacharias, Simeon, Anna, Maria, non quâ uni∣versalis, sed quà particularis Ecclesiæ membra videri poterant. Iidem & anima & corpore e∣rant in Ecclesia, & ob eam causam etiam ad uni∣versalem Ecclesiam pertinebant. Pharisæi verò & sacerdotes etsi ad particularẽ Ecclesiam per∣tinebant; tamen cum universali Ecclesia nullam veram communionem habebant, persequeban∣tur enim, damnabant & occidebant Christum, quod non fecissent, si ad universalem Ecclesiam pertinuissent. Quod autem dicit nos debere adhærere Papæ Romano, quemadmodum illi adhærebant summo sacerdoti, ridiculum est. Hujus enim rei mandatũ habebant, ut verò nos adhæreamus Papæ Romano, nusquam in Dei verbo præceptum est. Deinde sancti in veteri testamento communicabant cum summo sacer∣dote, in iis quæ Dei erant, in cæteris se puros conservabant, eodem modo & nos in iis, quæ Christi sunt, libenter communicaremus cum Papistis, si in cæteris, per illorum tyrannidem

An debeamus adhærere Papæ?

nos

nos puros conservare possemus.

Porrò non est simpliciter ad salutem necessarium, ut nosmet particulari Ecclesiæ adjungamus. Nam si vivimus iis locis, ubi hoc facere nō possumus, & tantùm habemus verum desideriū accedendi ad Ecclesiam, censemur esse in Ecclesia, & ob eam causam de necessitate salutis est, esse membrum universalis Ecclesiæ, ut autem simus membrum alicujus particularis Ecclesiæ, non simpliciter ad salutem necessarium est. Iam verò sacramēta tantùm administrantur in particularibus Ecclesiis, ut taceam illam Adversarii definitionem Ecclesiæ esse ridiculam, ut nos libro primo ostendimus, externam enim compaginem docet tantùm, non internam, ac proinde veram & essentialem Ecclesiæ formam ne attingit quidem. Quin si hæc est vera et essentialis Ecclesiæ definitio, possunt omnes, qui sunt de Ecclesia, tantùm corpore esse in Ecclesia, hoc est, possunt omnes in Ecclesia existentes, et ad eam pertinentes, esse impii, quo quid potest absurdius excogitari? qua enim de causa, vel quo jure diceretur sancta, si hoc verū esset?

An necessariò pereat, qui se particulari Ecclesiæ jūgere neqt?

Patres, quos adversarius allegat, parùm faciunt ad rem. Origenes enim hom. 28. in Matth. loquitur de fulgore veritatis, quo Ecclesiam plenam esse docet. Cyprianus de simplicitate prælatorum, loquitur de interno lumine quo Ecclesia perfusa est. Chrysostomus hom. 4. in Esaiam cùm dicit Ecclesiam non posse obscura-

ri, vel eam omninò exſcindi non poſſe. Tyranni enim qui Eccleſiam oppugnarunt, perierunt, illa verò periit minimè. Auguſtinus lib. 3. c. 5. contra epiſtolam Parmenia. & tract. 1. et. 2. in epiſtolam Ioannis, loquitur de Eccleſia ſui ſeculi, cùm dicit eam eſſe *apertam & abſcondi non poſſe.* Eſt enim, cùm illæ admodum ſplendent, ſed eſt etiam, cùm inſtar Lunæ obſcurantur. Verùm hoc ad ſequentem, non ad præſentem quæſtionem pertinet.

Caput III.

Eccleſiam univerſalem non eſſe viſibilem.

Eccleſia univerſalis non eſt viſibilis.

VT Adverſarius Eccleſiam particularem viſibilem eſſe probat, et nos concedimus, ita Eccleſiam univerſalem invisibilem eſſe, neque ullo externo ſenſu percipi poſſe contẽdimus. Sive enim accipiatur pro omnibus cætibus hoc tempore in mundo militantibus; sive pro omnibus iis, qui ab initio mundi uſque ad ejus finem, efficaciter ad Chriſti communionem vocantur, per ſe in hoc mũdo videri nequit. Quod attinet ad priorem, illa, quę eſt humana indigentia, nec uno loco congregari. nec humanis oculis ſimul et uno tempore objici poteſt. Quis autem viſu aſſequatur, quod à conſpectu remotum, et quà totus orbis patet, diſperſum eſt? Quin si omnes particulares Eccleſiæ in unum congregatæ eſſent, vel quod idem eſt, si omnium

um Ecclesiarum congregatio jam facta esset, et externo sensu videri posset, non amplius essent particulares Ecclesiæ. Totum enim ex omnibus partibus congregatum non est amplius pars. Adde particulares Ecclesias non nisi mẽtis actione, hoc est, sola cogitatione in unum congregari. Num sensibus percipi posse contendis, quod non sensus, sed solius mentis actioni subjectum est? Huc accedit universalem Ecclesiam non per se, sed tantùm in suis particularibus subsistere. Nullum enim universale secundum esse completum existit extra sua singularia, neque à singularibus suis separari potest; & ob eam caussam non potest etiam nisi in suis particularib. videri. Ad hæc cõgregatio Ecclesiæ catholicæ non est visibilis. τὰ καθ'ὅλου n. non sensu sed sola mente cõprehenduntur. Licet n. omnes singulares Ecclesiæ possint sensibus comprehendi; tamen solo mentis discursu in unum congregãtur; ipsum igitur universale ex omnibus particularibus sola cogitatione congregatum, sola mentis cogitatione cõprehendi potest. Ad posteriorem quod attinet, ejus maxima pars migravit in gaudiũ sui Domini, & ab omni humana miseria in cœlum translata triumphat. Pars nondum nata est, sed post hoc ævum nascentur, & ad Deum convertentur, nam illi qui in cœlo triumphum agunt, aut hi, qui hanc lucem nondum aspexerũt, à nobis humanis oculis cõspici possunt? Ad eandem pertinent omnes & soli electi, sed illi quâ tales,

à cæteris hominib. sensuũ judicio discerni non possunt, solus enim Deus novit quinam sint sui. Apostolus Hebręor. undecimo capite, versu vicesimo tertio vocat eam *Ecclesiam primogenitorum, qui in cœlis conscripti sunt.* Concludimus igitur Ecclesiam catholicam propriè sic dictam, humanis oculis conspici non posse. Hinc est quod in symbolo dicimus, *Credo sanctam Ecclesiam*: sed quod credimus, illud fide, non aspectu assequimur. Quę enim cadunt sub fidem, ea non cadunt sub aspectum. Heb. 11. 1. *fides est Elenchus earum rerum quæ non videntur.* Deinde fides & aspectus sunt opposita, 2. Cor. 5, 7. *Per fidem enim incedimus, non per aspectum.* Hæc igitur universalis Ecclesia, quæ est omniũ electorum mater, si humanis oculis videri posset; non rectè diceremus, *Credo*, sed dicendum esset, *video*, sanctam catholicam Ecclesiam. Quoniam verò cum toto Christianismo dicimus, *Credo sanctam Ecclesiam*, pronunciamus eam humanis oculis in hoc mundo videri non posse.

Caput IIII.

Ecclesiam visibilem non posse deficere.

An Ecclesia particularis non possit ad eas angustias redigi ut lateat?

Ecclesiam particularẽ, non Catholicam, esse visibilem, ostensum est. sequitur ut inquiramus, an Ecclesia particularis ita sit semper visibilis, ut etiam, iis, qui extra eam sunt, semper conspicua & illustris appareat? An verò ad eas

angustias

angustias redigi posit, ut licet in sese semper sit visibilis, tamen mundum & persecutores lateat? Nos hoc affirmamus, adversarius negat: dicit enim particularem Ecclesiam, usque adeò semper visibilem esse, ut non tantùm suis membris, sed mundo etiam semper cōspicua & illustris appareat. Hanc opinionem probat aliquot argumentis.

Primùm Matth. 16. 18. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam.* Cui similis est illic. 1. Timoth. 3. *Ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* In utroq; loco agitur de Ecclesia visibili, ut ostēdimus, & tamen audimus ipsam veritatem asserentem, portas Inferorum non prævalituras contra eam Ecclesiam. *Petra.*

Respondeo de universali Ecclesia propriè sic dicta simpliciter dici posse, quòd sit supra petram ædificata, & ꝙ sit colūna & firmamentum veritatis; de visibili particulari utrumq; tantùm secundum quid dicitur, nempe respectu eorum, qui ei visibiliter adhærent, & simul ad istam universalem propriè sic dictam pertinēt, ex quo apparet esse synecdochicam locutionem, cùm dicimus Ecclesiam particularem visibilem esse fundatam super petram, & esse columnam & firmamentum veritatis. Contra hanc sive universalem propriè sic dictam, sive particularem visibilem non prævalebunt portæ inferorum, contra illam

simpliciter

simpliciter, contra hanc secundū quid. Vniversalis enim propriè sic dicta, constat ex omnibus & solis electis, contra hos verò nihil possūt portæ inferorū. Hæc constat ex bonis & malis simul. Hos possunt inferorum portæ superare, illos non item. Nam quatenus est super petram ædificata, & est veritatis columna, est tuta ab inferorum portis, quatenus verò neque super petram ædificata est, neque veritatis columna est, facilè à Diabolo evertitur. sed quid hoc ad rem? Num ab inferorū portis superari, idem est quod mundum persecutorésque latere? Appage has ineptias. Potest Ecclesia in desertum pelli, et ibi latere ad tempus, sed à Dracone superari non potest, ut docet Iohannes in revelatione, capite 12. verùm quamdiu in deserto latet, fugit mundi persequentis conspectum, et tamen manet incolumis. Quin propterea persecutores latet, ut incolumis esse posit.

Secundò ex aliis locis, ubi aperta est promissio sine nomine Ecclesiæ, Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

Christus semper adest Ecclesiæ. Respondeo Christum tum maximè adesse suę Ecclesiæ, cùm eam fugientem & latitantem contra Draconem defendit, & propugnat. Nam cùm fugeret in desertum, ut ibi lateret, atque draco eam persequeretur, stetit Michaël pro Ecclesia, & dracone profligato eam laudabiliter tuebatur, omnémque injuriam & contumeliam ab ea propulsabat.

Præterea

Præterea Eph. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & doctores ad consummationẽ sanctorum in opus ministerii, in ædifiationem corporis Christi donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Respondeo Ecclesiam etiam eo tempore, quo Tyrannorum sævitiem fugit, & persecutores latet, habere ministeria Pastorum & doctorum; adde pastores eodem tempore cognoscere suas oves, & oves cognoscere suos pastores. Tãtùm negamus persecutores eam & ministerium pastorum in ea cognoscere. Iam verò fieri potest, & sæpe factum est, ut Ecclesia latitans cognoverit suos pastores, & sit cognita ab iis, & tamen latuerit suos persecutores.

Tradunt Patres domi Neronis fuisse Ecclesiam, illa fuit Neroni incognita, sed sibiipsi incognita non fuit.

Præterea psalm. 47. *Deus fundavit eam in æternum.*

Non nunc dicam hunc locum de alia re loqui, sed sanctè confiteor Deum conservaturum esse non solùm Ecclesiam universalem propriè sic dictam, sed etiam visibilem particularem. Sed quid hoc ad rem? Num non conservatur à Deo cum in deserto latitans Michaëlis ope auxilioq; à dracone defenditur? aliud est Ecclesiam latentem conservari à Deo, & item aliud eam prorsus

sus exstirpari. Quia propterea latitat, ut jam dictum est, idque ita divina volente & gubernante providentia, ne exstirpetur.

Parabolæ de area, reti, agro, convivio & ovili, nihil probant, quod ad rem præsentem faciat. Fatemur enim aliquam Ecclesiam visibilem ad consummationem usque seculi duraturam esse, sed dicimus eam quandoque ita illustrem fore, ut aliquandò habeat reges filios, & non metuat hostes suos, sed palam se etiam hostibus suis cōspicuam exhibeat, quandoque verò ita premi ab hostibus suis, ut se occultare cogatur. Neque hæc inter se pugnant, accidit enim discipulis ut clausis januis essent propter metum Iudæorum, & se occultare cogerentur, ne ab hostibus suis occiderentur. Accidit iisdem ut palàm in eadem urbe nomen Iesu confiterentur. Neque tamen Ecclesia visibilis propterea desinebat esse visibilis, etsi enim Pharisæos, sacerdotes alióſq; Christi hostes latebant, tamen se mutuò cognoscebant, & agnoscebant. Eodem modo cùm sæculis sequentibus Ecclesia ad eas angustias adigeretur, ut se in solitudine occultare cogeretur, non desinebat visibilis esse, sibi enim ipsi visibilis, hostibus, quos latebat invisibilis erat. Atque eo tempore Pastores cognoscebant suas oves, & oves cognoscebant suos pastores: Sed persecutores non cognoscebant eos. Accidit quandoque ut hunc vel illum ex pastoribus, ovibusque cognoscerent, & occiderent, sed totum cætum

cognoscerent

cognoscerent minimè.

Porrò Ecclesiam Christi esse regnum non negamus, tantùm dicimus non esse regnum de hoc mundo, neque esse regno mundano similem; & ob eam causam ab hoc ad illam non valere consequentiam, quin hac ipsa re est mundanis regnis dissimilis. Omnia enim mundana regna peribunt; Ecclesia verò durabit in æternum; neque idcirco non potest ad eas angustias adigi, ut se occultare cogatur. Quin propterea occultatur, ut effugiat manus persecutorum, & incolumis maneat. Si Adversarius contradicit, sciat effugere gladium persequentis, non esse idem quòd perire, sed esse idem quòd periculum evitare. Ridiculum est quod dicit Ecclesias esse aliquos homines occultos, dissipatos, & separatos à se invicem, qui se non noverunt. Sunt enim Ecclesiæ illorum, quos ille Lutheranos vocat, tam illustres & conspicuæ, ut totam Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Daniam, Norvvegiam, Suetiam, Poloniam, Bohemiam suo fulgore illustrent, & in cæteris Europæis regnis Euangelii lumen accendant, & sunt conjunctiores quàm illi volunt. Nisi enim fraterna & Christiana charitate fuissent conjunctæ, & se mutuo juvissent, quî quæso potuissent Papæ, Imperatoris Caroli, Philippi, Caroli, Henrici, Francisci, Mariæ, Albani, Parmensis, Guisiorum, & aliorum regũ arma cruentasque phalangas, quæ in eos tam sæpè, & tam frequenter,

Ecclesia est regnum nõ mundanum.

Ecclesia Luteranorum (ut vocant) sunt illustres.

Ecclesia Protestantium conjunctæ.

frequenter, tantisque viribus moverunt, sustinere? Fateor esse in eis quosdam turbulentos, qui vel præpostero zelo, vel alia de causa vinculum charitatis libenter rumperēt, sed horum conatus Deus impedit, & excitat semper viros sanctos & pacis amantes, qui vulnera ab iis inflicta, obligent & curent, neque hoc novum est, contigit idem tempore Apostolorū, & seculis subsequentibus. Vt autem Ecclesiæ hæ nunc florent, ita non nego eas ad eas āgustias adigi posse, ut se propter metum persequētium occultare cogantur, sed propterea non magis interibūt, atq; periit Ecclesia, cùm Elias quereretur se solū remansisse, quærique animam suam ad necem. 1. Reg. 19. 10. vel cùm Iezabel exterminaret Prophetas Iehovæ; & Obadiahu ferret centum Prophetas, & occultaret eos quinquagenos in spelunca, pasceretq; eos pane et aqua, 1. Reg. 18. 14. vel

Ecclesiæ occultatæ & latētis exempla.

Cum Cajus, qui præsul erat Romanus in altis
Delituit cryptis. vel

Cum plerique patres sancti, cum tale viderent
Exitium, fugere urbes, & more ferarum
Per deserta vagi cæcis latuere cavernis.

ut Mantuanus canit, vel denique cùm Ecclesia Apostolorum, propter metum Iudæorum se januis clausis occultare cogeretur, Iohan. 20. 19.

CAPUT V.

Argumenta ex Patribus ad eandem rem probandam adducta refutantur.

Ar-

ARgumenta ex sacra scriptura petita, quibus voluit probare Ecclesiã Christi semp. esse mũdo cõspicuã, expelicavimus capite superiori: sequitur ut argumenta, quæ ex patrib. ad eandem rem probandam adduxit, explicemus. Primum; Quia Augustinus in Psalm. 101. Conc. 2. *sed illa* (inquit) *Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est, perut, Hoc dicunt* qui in illa non sunt. O impudentem vocem! *Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit, etsi tu non sis.* *Argumenta è sacris petita.* *Augustinus.*

Respondeo multa esse, quæ non perierunt, & tamen non sunt mundo conspicua. Addo Augustinum non loqui de visibili particulari, sed de invisibili universali. Loquitur enim de ea Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, sed quia illa in hoc mundo numquam in uno loco congregatur, etiam in hoc mundo corporeis oculis videri nequit. Prætereà loquitur de Ecclesia toto orbe diffusa. Concione eadem, *Non se extollunt Hæretici, quasi exigui dies fuerint Ecclesiæ toto orbe diffusæ: Nam & usq; in finem cùm sint exigui sunt* sed Ecclesia toto orbe defusa non est visibilis. Ratio quæ Adversarium movet, est aliena. Donatistæ enim non disputant an vera Ecclesia sit visibilis; sed an solius Africæ finibus comprehendatur; dicebant enim suos cætus esse veram Ecclesiam, cæteros cætus, qui extra Africam cõgregabantur, non esse veram Ecclesiam. Augustinus de Vnitate Ecclesiæ, cap. 13. *Non permit-*

tuntur isti suspicari, aut discere, quod dicũt omnes bonos defecisse de mundo, ut in sola parte Donati remanerent. Et, *pauci sunt, qui ingrediuntur per illam (angustam portam). Istos paucos Donatistæ se putant esse et ideo dicunt periisse orbem terrarum, se autem in hac paucitate, quam laudavit Dominus, permansisse.* Et, *sicut nos manifestissimis testimoniis asserimus Ecclesiam toto orbe diffusam; sic & ipsi manifestum quid proferant, unde ostendãt esse prædictum cæteris Gentibus à fide Christi pereuntibus, solam Africam remansuram. & quocunque Episcopi ex Africa mitterentur.* Et, Cap. 20. *Vos autem innitentes tot evidentissimis testimoniis, Legis, Prophetarum, Psalmorum, ipsius Domini, & Apostolorum de sancta Ecclesia toto terrarũ orbe diffusa, exigite ab istis. & ostendant ex Africa quod attinet ad partem Donati, aliqua manifesta de Canonicis libris testimonia.* Hinc apparet non fuisse controversiá de visibili, & invisibili Ecclesia, ut Adversarius putat; sed verum controversiæ statum fuisse, an Ecclesia per totum orbem diffusa, an verò Ecclesia Donatistarum, quæ in sola Africa erat, fuerit vera Ecclesia?

Augustinus. Secundùm. Quia Augustinus eodem loco *Quamdiu*, inquit, *ero in isto seculo? annuncia mihi propter illos, qui dicunt, fuit & jam non est, apostatavit & periit Ecclesia, de omnibus Gẽtibus, & annunciavit nec vacua fuit vox ista, Quis annunciavit mihi, nisi ipsa vita? Quando annunciavit? Ecce ego sum vobiscũ usq; ad consummationẽ seculi.*

Sed

Sed qui cum Christo est, ille non est semper mundo & hostibus Christi conspicuus. Deinde Augustinus loquitur de Ecclesia ex omnibus Gentibus colligenda, concione eadem. *Usque in finem seculi Ecclesia in omnibus Gentibus.* Sed hęc in hoc mundo videri nequit. Ecclesia enim ex omnibus Gentibus colligenda in hoc mundo nunquam simul in uno loco, ut jam dictum est, congregabitur. Ergo ętiam nūquam erit in hoc mundo visibilis. Nemo enim potest istos cœtus simul videre, qui diversis locis, & temporib. per universum terrarum orbem congregantur. Nam ut ista Ecclesia nunc congregatur: ita etiam videtur; sed congregatur sola operatione mentis, Ergo etiam sola operatione mentis videtur. Nos verò non de universali invisibili, sed particulari visibili disputamus.

Tertium, quia Bernardus 79. in Cantica, *Ita est*, inquit, *& tunc & deinceps, non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia: venerunt fulmina, flaverunt venti, & impegerūt in eam, & non occidit, eò quòd fundata esset super petrā, Petra aūt erat Christus. Itaq; nec verbositate Philosophorū, nec cavillationibus hæreticorū, nec gladiis persecutorū, poterit ista, aut poterit aliquando separari à charitate Dei.* Sed quod non potest à charitate Christi separari, hoc neq; mundo, neq; hostibus Christi semper conspicuū est. *Bernardus.*

Deinde illa Ecclesia, quæ non potest à charitate Dei separari, est electorum tantùm. Nam

qui non sunt electi, illi possunt à charitate Dei separari. Sed electorum Ecclesia non est in hoc mundo visibilis. Solus enim Deus novit quos elegerit, isque eos quos elegit, ab eis, quos non elegit, distinguere potest. Quod autem adversarius dicit, Tyrannorum gladios, Philosophorum verbositatem, & hæreticorum cavillationes, non posse Ecclesiam invisibilem persequi, verum est de ea Ecclesia, quæ prorsus invisibilis est; sed de ea, quæ in suis membris visibilis est, verum non est. At omnes particulares Ecclesiæ sunt istius universalis membra, & ab Tyrannis, Philosophis, & hæreticis oppugnari possunt. Augustin. de unitate Ecclesiæ cap. 20. *In aliis gentibus sæpe nonnulla membra Ecclesiæ prævalentibus hæresium & schismatum seditionibus pressa, atque obumbrata sunt, & quia inerant, paulò post nullo dubitante claruerunt.* Sed qui istas particulares, vel omnes, vel aliquas ex iis persequitur; ille universalem Ecclesiam persequi rectè dicitur. Atque hæc sunt illa testimonia ex patribus petita, quibus voluit ostendere Ecclesiam esse mundo semper conspicuam, quæ sanè fuerunt ejusmodi, ut nisi firmiora afferre posit, sequatur hanc opinionem æquè incertam esse, atque antè erat.

CAPUT VI.

Argumenta à ratione petita refutantur.

Argumentum à ratione.

EXplicuimus capite superiori testimonia patrum, quibus voluit ostendere Ecclesiam esse

esse mundo semper conspicuam; sequitur ut rationes ad eandem rem adductas diluamus.

Prima. *Si aliquando sola maneret in mundo invisibilis Ecclesia, aliquando etiam esset impossibilis salus iis, qui sunt extra Ecclesiam.* Hæc verba sunt captiosè posita, existimo adversarium hoc velle. Si Ecclesia non est mundo semper conspicua, tum illi, qui eo tempore, quo Ecclesia est mundo inconspicua, extra visibilem Ecclesiam sunt, salvari nequeunt. Sed hoc est falsum. Tempore enim Eliæ, ista septem millia non erant mũdo conspicua, & tamen salvabantur. Potuerunt enim in exiguos cœtus distribui, atque ii ipsi cœtus, etsi fuerunt mundo incogniti, fuerunt tamen iis, qui intererant visibiles. Exemplo sunt isti centum Prophetæ à Michæa in duabus speluncis absconditi. Hi duo cœtus Prophetarum potuerunt duæ Ecclesiæ dici, qui fuerunt in istis cœtibus, iis isti cœtus fuerunt conspicui, mundo tamen fuerunt inconspicui. Hinc apparet non esse idem, Ecclesiam esse visibilem, & Ecclesiam esse mundo visibilem, potest enim esse visibilis, ut tamen mundo non sit visibilis. Nos autem non negamus Ecclesiam in hoc mũdo peregrinantem semper visibilem esse, sed tãtùm negamus eam mundo semper visibilem esse. Iis enim qui intersunt, etsi sunt paucissimi, visibilis est, reliquis verò, quorum gratia occultatur, non est semper visibilis. Cùm Domitianus & Diocletianus gloriarentur se nomẽ Chri-

stianum prorsus exstirpasse, & omnem Christianorum superstitionem delevisse, Ecclesia non erat mundo conspicua; nihilominus tamen Deus etiam tum sibi suos conservavit. Intereà non negamus miserrimam omninò Ecclesiæ cōditionem esse, cùm ad istas angustias redigitur. Hinc isti gemitus. *Signa nostra non videmus, non est ultra propheta, nec est nobiscum, qui cognoscat usquequò. Usquequò Deus probris afficiet te adversarius, spernet inimicus nomen tuum?* Psal. 74. 9.

Secunda. De ratione unius veræ Ecclesiæ est, ut sit visibilis, hoc intelligo de ratione essentiæ, quasi dicat, esse Ecclesiæ essentiale, esse visibilem, sed hoc est falsum. Ecclesia enim quandiu in hoc mundo peregrinatur, nec in omni parte, nec in toto est visibilis; illa enim pars, quæ nunc in cœlo triumphat, humanis oculis videri nequit. In toto non est visibilis, quandiu enim in hoc mundo peregrinatur, nunquam tota & simul congregatur, imò ne quidem in hoc mundo tota existit, quomodo autem in hoc mundo videri possit, quod in mundo non est, nondum ab adversario explicatum est. Deinde illa pars Ecclesiæ, quæ in cœlo triumphat, aut est una Ecclesia cum ea parte, quæ in terris militat, aut non est. Si est una Ecclesia, cum ea parte, quæ in terris militat, tum non est de ratione unius Ecclesiæ, ut sit huic mundo semper conspicua: & si visibile esse, ita est de ratione Ecclesiæ, ut

non sit una, nisi sit visibilis, tum illa pars, quæ in cœlo triumphat, non est una Ecclesia cum ea parte, quæ in terra militat, illa enim in hoc mundo nunc nullo modo visibilis est. Eligat adversarius, quod volet. Deinde de ratione veræ Ecclesiæ non est, esse visibile. Nam hoc etiam aliis rebus, quæ non sunt de Ecclesia commune est: sed Christo efficaciter unitum esse, est de ratione veræ Ecclesiæ. Hoc enim uni & soli Ecclesiæ & semper convenit.

Tertia. Illi occulti homines qui Ecclesiam invisibilem constituunt, vel palàm profitentur fidem suam, & abstinent ab idolorum cultu, vel non. Si profitentur fidem suam, tùm non sunt Ecclesia invisibilis, sed maximè visibilis: si non profitentur, tum non sunt Ecclesia. *Confessio.*

In hoc dilemmate deest alterum membrum, videlicet vel occultè servant fidem suam, & abstinent ab idololatria. Tempore enim persecutionis, alii palàm confitentur fidem suam, ut Martyres, & confessores, alii non quidem palam profitentur fidem suam, servant tamen eam illibatam, & abstinent ab illicitis cultibus, ut illi prophetę, qui se in spelunca accultarant, ut effugerent manus Iezebelis 1. Regum. 18. 13. Atq; hoc non videtur adversarius ignorasse, in subsumtione enim istam particulam *palàm*, omittit. Sed aliud est confiteri fidem suam, aliud est palam confiteri fidem suam. Fidem confiteri tenemur semper; palam confiteri non tenemur

semper, sed tum tantùm, cùm necessitas hoc exigit. Argumentum igitur corrigendum in hunc modum. Illi vel occultè fidem suam illibatam conservant, vel eam palam confitentur, vel denique eam abnegant, unde apparet posse eos de vera Ecclesia esse, licet fidem nec abnegent, nec palam confiteātur. At verò cùm eam palàm coram hoc mundo confitentur, tum sunt mundo conspicui; cùm verò eam occultè servant, & simul omnibus illicitis cultibus abstinent, tum non semper sunt mundo conspicui. Atque hæ sunt rationes, quibus Adversarius probare voluit, Ecclesiam esse mundo semper conspicuam, quæ sanè fuerũt hujusmodi, ut nisi fortiores afferre possit, manifestũ sit hanc rem æquè incertam esse atque antè erat.

Caput VII.

Ecclesia quamdiu in hoc mundo peregrinatur non semper est mundo visibilis.

Ecclesia non est sẽper mundo visibilis.

Status cõtroversiæ.

RAtionibus, quibus adversarius probare voluit Ecclesiam visibilem deficere non posse, explicatis, sequitur ut ostendamus Ecclesiam non semper esse mundo visibilem. Priusquam verò argumenta producamus, explicandus erit status controversiæ. Non enim dicimus omnem visibilem Ecclesiam posse prorsus deficere; sed dicimus Ecclesiam non semper esse mundo visibilem. Non autem sunt idem, omnis visibilis

Ecclesia prorsus deficit, & omnis visibilis Ecclesia desinit mundo visibilis esse. Potest enim Ecclesia in se esse visibilis, & tamen mũdum latere, hoc est, potest in se esse visibilis, & tamen mundo esse incognita. Nam cùm Ecclesia se propter metum persecutionis occultat; tum quidem in se est visibilis, conspicitur enim ab iis, quicunq; congregationi quantumvis exiguæ & occultæ intersunt: à mundo tamen non conspicitur. Ab ejus n. conspectu se occultat, & ob eam causam rectè dicitur mundo invisibilis esse. Deinde loquimur de Ecclesia militante. Triumphantem enim, non esse huic mundo visibilem extra cõtroversiam ponimus. Nostra igitur sententia est. Ecclesiam militantem non semper esse mundo visibilem. Hoc ita esse docet Historia *Elias.* Eliæ 1. Reg. 19. 10. *filii Israel dereliquerũt pactum tuum, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio. & remansi ego solus, quærúntque animam meam, ut auferant eam.* 18. Et dixit Iehova, *Reservabo autem in Israële septem millia, quorum genua se non curvaverunt Baali.* Hæc septem millia fuerunt mundo incognita, erant enim ipsi Eliæ incognita. Sed quod potest ita abscondi, ut sanctissimis Prophetis sit incognitum; hoc etiam potest à mundo occultari. Hinc ita infero, quod accidit Ecclesiæ Israëlis, hoc etiam Ecclesiæ Iudæ, imò omnibus Ecclesiis in mundo militantibus accidere potest, sed Ecclesiæ Israëlis accidit, ut redacta fuerit ad

istas angustias; ut se à conspectu mundi occultare coacta sit, Ergo & Ecclesia Iudæ, ad easdem angustias redigi potuit, imò Antiochi tempore ad easdem angustias redacta est. Antiochus enim mandabat, ut omnes Iudæi sua instituta juraque relinquerent. 1. Mach. 1. 43. Multi etiam ex Israelitis illius religionē amplexi sunt. 1. Mach. 1. 45. cæteri in loca abdita, & latebras compulsi sunt. 1. Mach. 1. 56. Qui verò fortes perstiterunt, illis mors illata est. 1. Mach. 1. 66.

Antiochus

Adversarius primùm respondet ad consequentiam, deinde ad antecedens. Ad consequentiam dicit, non esse eandem rationem Ecclesiæ Iudæorum, & Ecclesiæ Christianorum. Illam enim non esse universalem Ecclesiam, hanc esse universalem. Quod non fuerit universalis, probat, quia extra eam fuit Melchizedech, Iobus & alii, quod miror viro docto excidisse. Iudæorum enim Ecclesia fuit tempore veteris Testamenti universalis Ecclesia in terra militans, & ad hanc illi (quos nominat) pertinebant. Nisi hoc fateatur, sequitur eos omnino fuisse extra Ecclesiam præter Iudæorum enim Ecclesiam tum nulla fuit. Quod igitur hinc infert. Si universa Iudæorum synagoga, (synagogam Ecclesiam intelligit) defecisset, non cōtinuò omnis in terra ecclesia defecisset, per se corruit. Nulla enim tum erat Ecclesia, quàm Iudæorum, ut jam dixi, Omnis igitur tum Ecclesia periisset, si Iudæorum Ecclesia tum prorsus periisset. Ad antecedens

Tempore V. T. Iudaica Ecclesia fuit universalis militans.

dens dicit, Ecclesiam Iudæorum nunquam omnino periisse. Sed hoc nihil aliud est, quàm tacere nolle, & respondere non posse. Antecedens enim non est Ecclesiam Iudæorum prorsus periisse. Sed Ecclesiam, quæ fuit in Israële, fuisse à mundi conspectu occultatam. Quod cùm ex Dei verbo destruere non posset, declinat à re proposita, & negat Ecclesiam Iudæorum nũquam omninò periisse. Sed Ecclesiam omnino perire, & Ecclesiam à mundi conspectu occultari, non sunt idem. Quod autem nobis istam opinionem affingit, existimo contra conscientiam factum esse. libro enim III. cap. XIII. de Ecclesia militante dicit, *Notandum autem est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolutè Ecclesiam non posse deficere. Nam Calvinus & cæteri hæretici id concedunt.* At si concedimus Ecclesiam non posse unquam deficere; & hoc adversarius non ignorat, tum contra conscientiam facit, dum nobis hanc opinionem affingit. Deinde lib. III. de Ecclesia militante cap. XVI. dicit, *Melancthonem in locis, & Calvinum in præf. Instit. asserere tempore Eliæ Ecclesiam fuisse in Elia, Helisæo, & paucis sacerdotibus.* At si Ecclesia tum fuit in Elia, Helisæo, & paucis sacerdotibus, tum non periit omnino. Neque erravit Calvinus & Melancthon, cùm hoc assererent, locuti enim sunt de Ecclesia, quæ fuit in Israele, sed adversarius ostendit contendendi libidinem, dum quod illi ex Dei verbo asseruerunt, negare non erubescit.

Protestantes docent Ecclesiam nunquam posse deficere.

Post

Post Christi ætatem. Diocletianus & Maximinianus, Ecclesiam Christianam vehementi, & diuturna persecutione, ad tantas angustias adegerunt, ut nusquã Christiani apparerent. Gloriati enim sunt, nomen Christianorum à se funditus extirpatum, & Christi superstitionem ubiq; deletam esse, ut (quemadmodum refert Fulco) marmora quædam Salmantica in collo sancti Bartholomæi hodie testantur. sed quod Tyranni, totius orbis Domini, ita afflixerunt, & presserunt, ut crudelissimi sævissimique satellites, id nusquam apprehendere, vel invenire potuerint; quòd denique tyranni isti palam gloriati sunt, se prorsus extirpasse, hoc vel prorsus extirpatũ fuit, vel à Tyrannorum ejusq; satellitum conspectu occultatũ fuit. At non fuit prorsus extirpatum; simulatq; n. persecutio cessavit, ex cavernis & latebris Christiani magno numero prodierũt. Ergo fuit Ecclesia tum à mundi cõspectu occultata.

Tyranni gloriati sũt se Christi nomen funditus exstirpasse.

Idem prædicit Iohannes in Apocalypsi, cap. 12. vers. 6. *Mulier verò fugit in solitudinem, ubi habet locum paratũ a Deo, ut illic pascat eam, diebus mille ducentis & sexaginta.* & vers. 14. *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volet à conspectu serpentis in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis.* Priusquam argumentum formem, explicandus est textus. Mulier significat Ecclesiam. Aretas, ἡ τῆς γυναικὸς φυγὴ εἰς τὴν ἔρημον, τὴν τῶν ἐκλεκτῶν φυγὴν σημαίνει, ἣν ἐπὶ παρουσίας τοῦ ἀντιχρίστου ὑπὸ τοῦ διαβόλου

Mulier fugiens in desertum.

ἀνεξεσμένης, φεύξονται οἱ κορυφαιότατοι τῆς ἐκκλησίας, ἐκ τῶν πολιτικῶν θορύβων, &c. Prosper de prædeit. l. 1. c. 1. *Hæc est illa mulier, quæ custoditur per tẽpus ad tempora, & dimidiũ temporis, à conspectu serpentis; ut in Apocalypsi de Ecclesia dicitur.* Primasius in Apocal. c. 12. disertè de Ecclesia explicat. *Per desertum intelligo loca abdita, in quibus se Ecclesia propter metum persecutionis abscõdit.* Stapletonus libro XIII. doctrinalium principiorum c. 11. *Pelli sanè poterit in desertum Ecclesia regnante Antichristo, & illo momento temporis in deserto, id est, in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quo sancti se recipient, non incommodè quæretur Ecclesia.* Cæterùm illa deserta non erunt hic & illic, sed erunt ubiq; per omnes gentes, per quas Christi nomen propagatum est, & in quibus Christi nomẽ profligabit, quantum poterit Antichristus. Sed quod quandoq; in desertum fugit, ut istic se à conspectu malorum occultet, hoc potest quandoq; inconspicuum esse mundo. De tempore, quod in Apocalypsi exprimitur, diximus, cùm de Papa Romano disputaremus. Nunc sufficit ostẽdere, eam in locis abditis se aliquando occultare. Tantùm addimus hanc fugam frequentem fore. Spiritus enim sanctus in eodem capite, eam bis fugisse narrat. Idem docet Orthodoxa antiquitas. Hieronym. in 1. cap. in Sophoniam. *De Ecclesia autem videtur prima fronte blasphemum, quod ea futura sit invia et deserta, et bestiæ habitẽt in ea, & posteà ei cum insultatione dicatur; Hæc est civi-*

tas

tas malis dedita, quæ habitat in spe, quæ dicebat in corde suo; Ego sum, & non est præter me amplius, quomodo facta est in solitudinem pascua bestiarũ? sed qui cõsideraverit illud apostolicũ, in quo dicitur, in novissimis temporibus instabunt tempora pessima, & erunt homines sui amantes, avari, arrogãtes, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, accusatores, intemperantes, crudeles, odio habentes bonum, proditores, temerarij, inflati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes formam pietatis, virtutem autem eius denegantes; Nec non & hoc, quod in Euangelio scriptum est, quod multiplicata iniquitate refrigescat charitas multorum, in tantum, ut in illo tempore compleatur. Veruntamen veniens filius hominis, putas inveniet fidem super terram? non mirabitur de externa Ecclesiæ vastitate, quod regnante Antichristo redigenda sit in solitudinem, & tradenda bestiis, & passim, quæcunque nunc propheta describit. Hesychius ep. 78. *Quando inquit sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & Ecclesia non apparebit.* Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 1. c. 31. *Per multos annos Ecclesia, quæ futura erat in omnibus gentibus, in filiis suis, id est in sanctis suis non apparuit.* Deinde Ecclesia passim à Patribus confertur cum luna. Luna autem quandoque est obscura & occultatur, ergo & Ecclesia obscurari atq; occultari potest. Docet hoc Augustinus in Psalm. x. Chrysostom. hom. 49. o-

pere

pere imperfecto in Matthæum, docet *interdum nullum esse visibile signum: quo vera Ecclesia cognoscatur, & ideo tunc solùm ad scripturas esse recurrendum.* Ad hunc locum respondet auctorem hujus operis hom. 48. Homousianos vocare hæreticos, atque hæc putat sufficere ad hunc locum profligandum, quasi qui quædam hæretica admiscet, ejus auctoritas non sit idonea ad fidei dogma probandum.

Hoc quidem argumentum est invictum, & à nobis libenter conceditur, & ob eam causam dicimus ex omnibus patribus neminem esse, cujus authoritas sit idonea ad fidei dogmata probanda. Ex omnibus enim patribus nemo est, quin in suis scriptis aliquando fœdè erraverit, & hallucinatus sit. Ac proinde malè faciunt adversarii, dum ea scripta quæ erroribus scatent, pro principiis fidei, quæ certa & immutabiliter vera esse debent, obtrudunt. Pejus autem faciunt dum principia quibus ipsi utuntur, rejiciunt.

CAPUT VIII.

Refutantur rationes, quibus vult probare Ecclesiam in terra militantem non posse errare.

ECclesiam in terra militantem posse ad eas angustias redigi, ut cogatur se à mundi cõspectu occultare, docuimus capite superiore; sequitur ut inquiramus, an Ecclesia militans, in iis quæ ad fidem & mores pertinent, errare posit? *An Ecclesia possis errare.*

Adversa-

Adversarius dicit, eam iis quæ ad fidē & mores pertinent, non posse errare. Nos verò dicimus eam in illis errare posse. Ille probat suam sententiam aliquot argumētis, quæ ordine expediemus. Primum 1. Tim. 3.15. *Quod si tardiùs venero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei versari quæ est Ecclesia Dei vivi, colūna & stabilimentum veritatis.* Sed quædam columna & stabilimentum veritatis potest in doctrina fidei & morū errare: Omnes enim singulares Ecclesiæ sunt columnæ & stabilimenta veritatis. Basil. ep. 70. οἱ στῦλοι καὶ τὸ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ἐν διασπορᾷ, *columna & fundamentū veritatis dispersa sunt.* Cùm tamen solæ orietales, non autē occidētales Ecclesiæ eo tempore dispersæ essent. Deinde Paulus instituit Timoth. quomodo debeat in ista Ecclesia versari, cui præfectus erat. Ille verò non universæ, sed singulari cuidā Ecclesię tum præerat. Vnde manifestum est, eum loqui de singulari Ecclesia: Sed Ecclesiam singularem posse errare, etiam ipsi adversarii concedunt. Necesse igitur est, ut concedant aliquam columnam & stabilimētum veritatis errare posse. Porrò stabilire veritatem duobus modis accipi potest, videlicet pro gignere veritatem, eique omnem autoritatem conferre, & pro confiteri, testarique veritatem, vel quod idem est, pro veritati testimonium perhibere. Quemadmodum sanctificare in scripturis significat sanctum facere, & sanctitatis laudem alicui tribuere. In hac posteriore significatione

Ecclesia est columna veritatis.

rectè

rectè dicitur, Ecclesia fulcire veritatem, testatur enim veritatem, & probat eam. Hieronymus explicat in hunc modum. *In qua* (loquitur de Ecclesia) *nunc sola veritas stat.* Ex quo apparet Ecclesiam fulcire veritatem, esse idem quod veritatem stare in Ecclesia. Chrysostomus hom. xi. in 1. ad Timotheum. *Hoc enim est quod fidem continet, ac prædicationem, quippe veritas Ecclesiæ & columna & firmamentum est.* Ecclesia igitur veritatem sustentat, dum in veritate sustentata fidem continet; vel quod idem est, dum à veritate sustentata veritatem probat, eique testimonium reddit. Quod autem dicit Ecclesiam esse veritate priorem, & ob eam causam non posse veritatis custodem esse; falsum est. Veritas enim, id est, Dei verbum, est Ecclesię semen. Sed omne semen est eo, quod ex semine nascitur prius. Ridiculum est quod dicit, Apostolum debuisse dicere Ecclesiam esse arcam Veritatis. Non enim de mortuo & bruto, sed de vivo & rationali custode loquitur. Sed Ecclesia non mortuus nec brutus, sed vivus & spiritualis Ecclesię custos est. Postremò quod putat Ecclesiam propterea esse columnam veritatis, quòd quicquid Ecclesia statuit, verum est, & ridiculum, & falsum est. Ridiculum, petit enim illud quod est in principio. Falsum. Deus enim disertè præcepit, ut Ecclesiæ ejusque præsides facerent, non quod ipsis videretur, sed quod à Deo pręceptum mandatumq; erat, nec quicquam adderent iis, aut detraherent

de iis. Mandatum item est Ecclesię, ut non quicquid Episcopi proponunt, sed quicquid ex Dei verbo proponunt, reciperet. Vnde apparet Ecclesiam propriè loquendo non esse columnam veritatis, sed veritatem esse columnam Ecclesiæ. Rectè Chrysostomus, *Veritas est columna & firmamentum Ecclesiæ.*

Secundum, Eph. 1. 22. Eumq́; constituit caput supra omnia ipsi Ecclesiæ.

Eph. 4. 15. Prorsus adolescamus in eum, qui est caput, nempe Christus.

Eph. 5. 22. Vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ.

Illud cujus caput Christus est, non potest errare. Sed Ecclesia est illud, cujus caput Christus est, ergò non potest errare.

Christus est Ecclesiæ caput. Sed non cujuscunque caput Christus est, errare nequit. Nam non tantùm universalis Ecclesiæ, sed omnium singularium Ecclesiarum, imò omnium fidelium caput est Christus. Singulares tamen Ecclesiæ, quandiu in hoc mundo peregrinantur, etiam ipsis adversariis confitentibus, possunt in doctrina fidei errare. In eadem & fideles singulos labi posse docent errores Origenis, Apollinarii, Lactantii, Tertulliani, Cypriani, Augustini, Hieronymi & aliorum. Non igitur erroris expers est cujuscunq; caput est Christus. Causa istius rei est, quòd fideles, quamdiu à Domino peregrinantur, non evadunt in viros perfectos. Quod autem adversarius dicit, Christum debere

debere omnem errorem, ex quo magnum malum oritur, ab Ecclesia removere, & talem esse errorem circa fidem; infirmum est, & ratio, qua hoc probat, nihil ad rem facit. Non enim est eadem ratio Christi & Ecclesię, quę mariti & uxoris. Maritus enim tenetur omnem errorem, ex quo magnum malum oritur, ab uxore removere, est enim uxori obligatus. Deus verò est nemini obligatus. Rom. 11. 35. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei.* Deinde Christus potest errores, in quos suos quandoque labi sinit, in eorum salutem convertere, per horrendum enim Petri errorem, docuit Petrum, ut se posthac non efferret. Hoc verò Maritus facere non potest. Quod autem dicit Christo imputandum esse, si Ecclesia in doctrina fidei & morum erraret, insulsum est, Christus enim non impellit Ecclesiam in errorem, neque est causa erroris. Deinde Christus non est Ecclesia nec quicquid Ecclesia facit, Christus facit.

Tertium, Eph. 4. vers. 4. Vnum corpus unus spiritus.

Qui Spiritum sanctũ habet errare potest.

Sed non rectè dixeris eum errare non posse, quicunq; Spiritum sanctum habet. Omnes enim fideles habent Spiritum sanctum, & tamen possunt in doctrina fidei errare. Quod autem dicit spiritui tribui debere, si Ecclesia erraret, æquè verum est, ut illud prius, Spiritus enim sanctus non est Ecclesia, neque facit quicquid Ecclesia facit.

Spiritus introducet vos in omnem veritatem. Quartum, Ioh. 16. 13. *Spiritus ille veritatis introducet vos in omnem veritatem.*

Hæc promissio non Ecclesiæ, sed Apostolis facta est. Ob eam causam Apostoli non potuerunt in doctrina errare. Reliqui verò qui Apostolis succedunt, possunt in ea errare, & erraverunt sæpe.

Quilibet debet Ecclesiam audire. Quintum, Mat. 18. 17 *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.*

Verum & ille errare potest, qui à fratre peccante audiri debet. Nā nō tantū universalis, sed quælibet particularis Ecclesia, imò quilibet Episcopus à peccante fratre audiri debet, & tamen singulas particulares Ecclesias, singulos item Episcopos errare posse, notius est, quàm ut probari debeat. Deinde hic locus prorsus ad rem non facit. Loquitur enim de correctione peccatorum. Quæstio verò non de peccatorum correctione, sed de doctrinę errore agitatur. Vt taceam eos ipsos etiā in ligandis, & solvendis peccatoribus errare posse. Hieronymus in 16 cap. Matth. *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum sumunt supercilio; ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: Cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Lombard. sent. lib. 4. distinc. 18. lib. 3. *Apertè ostenditur, quòd non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium, Ecclesia enim per surreptionem, & ignorantiam interdum judicat, Deus autem semper*

judicat

judicat secundum veritatem; & cap. 4. *Aliquando ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum.* Et. *pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt: & indignos sacramentis admittunt & dignos admitti arcent.* Et. *Qui non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur.* Origenes ad Leviticum. *Si non egit, ut mereretur exire, non læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, & qui foris est, intus videtur retineri,* AEgidius Romanus. *Cum sacerdos in judicando errat, tum qui ligatur, apud Deum judicē ligatus non habebitur.* Ex quo intelligitur tum non errare Ecclesiam, cùm secundum Dei verbum pronuntiat, cùm verò sibi aliquid de Pharisæorum supercilio sumit, ut Hieronymus loquitur, vel cùm per surreptionem & arrogantiam judicat, ut Lombardus ait, nemo eam errare negaverit. Quod regerit Ecclesiam docere epistolam Pauli ad Romanos esse verbum Dei, & epistolam ad Laodicenses non esse verbū Dei, & tamen neutrum scriptum esse, atque inde infert; Ecclesiam quædam extra Dei verbum docere; nihil facit ad locum præsentem. Agit enim hic de morum censura, non de fidei doctrina, ut est à nobis explicatum, cùm de principiis dogmatum disputaremus. Nunc annotasse sufficiat, istam epistolam de qua loquitur Adversarius, non esse scriptam ad Laodicenos, ut Papistæ nugantur, sed esse missam *ex Laodicea*, ut legimus in epist. ad Collossenses 4. 16.

Ecclesia est sancta. Sextum, Symbolum Apostolorum dicit Ecclesiam esse sanctam, ista autem sanctitas propriè in professione dogmatum consistit. Ergò Christiana professio nihil continet nisi sanctum, id est verum, quoad fidei doctrinam, & justum, quoad præcepta morum.

Sed neque hoc ad rem quicquam facit, symbolum enim Apostolorum loquitur de Ecclesia universali propriè sic dicta; adversarius verò de particulari visibili. Deinde ut particularis visibilis sectatur justitiam quoad mores: ita etiam sequitur veritatem, quoad doctrinam. Sed non tantùm mali, qui sunt in ea, sed ipsi etiam pastores, & sanctissimi quique gravissimè peccant, ex quo sequitur eosdem posse in doctrina errare.

Non si Ecclesia errare potest, doctrina in dubium vocatur. Septimum. Si esset vera Calvini sententia, maxima pars dogmatum in dubium revocari posset, nam multa sunt de fide, quæ non sunt absolutè necessaria ad salutem, sanè, credere historias Testamenti veteris, vel Euangelia Marci & Lucæ esse Canonica scripta, imò ullas esse divinas scripturas, non est omnino ad salutem necessarium. Nam sine hac fide multi salvati sunt, antequam scripturæ scriberentur, & posteà tempore veteris Testamenti, multæ barbaræ nationes, ut est apud Irenæum lib. 3. cap. 4. At non debemus de scripturis dubitare, ut docet Calvinus. Non igitur verum est Ecclesiam tantùm in rebus ad salutem necessariis errare non posse.

Respondeo. Scripturæ antequam scriberentur,

tur, non erant necessariæ ad salutem. Sed postquam scriptæ sunt, sunt equidem ad eam necessariæ Ioh. 21. *Hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes habeatis vitam æternam.* Hanc scripturam principaliter novimus ex ipsa scriptura, ut ostendimus, cùm de principiis dogmatum disputaremus.

Probatur ultimò ex patribus, qui ad Ecclesiam provocant, in quæstionibus fidei. *Patres ad Ecclesias provocant.*

Sed neque omnes Patres, neque in omnibus quæstionibus, neque contra quoslibet adversarios hoc faciunt. Tantùm faciunt illi, qui contra eos disputant, qui vel scripturam tollunt, vel corrumpunt. Cùm verò contra eos disputant, qui scripturam, neque tollunt, neque corrumpunt, ad Ecclesiam non provocant. Equidem Augustinus contra Arrianos disputans. *Non ego Nicenum, inquit, nec tu debes Arimenense tanquam præjudicatum proferre Concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius teneris, scripturarum auctoritatibus utrisq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione decertet.* Socrates & Theodoret. lib. 1. *Libri Euangelici, & Apostolici, veterumq; Prophetarum oracula, apertè nos docent, quid sit de rebus divinis sentiendum. Amoto igitur contendendi studio, ex sermonibus divinitus inspiratis sumamus controversiarum solutionem.* Quin ipse Christus cùm Sathanam refutare vellet, dicebat, *scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis;* non autem ad Ecclesiam provocabat. Quod *Nō omnes patres in omnibus controversiis provocant ad Ecclesiam.*

ad dicta Patrum attinet. Tertullianus loquitur de iis Ecclesiis, quas Apostoli paulò antè instituerant. Ex iis autem multæ non tantùm erraverunt, sed turpitus perierunt. Cæteræ, quæ adhuc supersunt, de veteri Apostolica integritate longissimè recesserunt. Augustinus lib. 1. contra Cresconium, cap. 33. non loquitur de rebus omnibus, sed an rebaptizandi sint ii, qui ab hæreticis baptizati sunt. Epistola 118. agit de adiaphoris, ita ut hæc loca non probent illud, quod adversarius intendit.

Non tota Ecclesia errat, si Episcopus errat.

Quod subjungit omnes Ecclesias errare, si omnes Episcopi errent, falsum est. Episcopus enim non est Ecclesia, neque de tota Ecclesia rectè dicitur, quod solus Episcopus facit. Debemus quidem eos audire loco Dei, ut docet Luc. cap. 10. Si scilicet nos docuerint, quæ Christus eis mandavit. Matth. 28. 20. *Docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis.* Si præter hæc quicquam docuerint, debemus aures nostras obturare, ut illi faciebant, de quibus est apud Irenæum lib. 3. cap. 4.

CAPUT IX.

Ecclesia militans potest doctrina & moribus errare.

Ecclesia potest moribus errare.

NUlli homines quantumvis sancti quamdiu corpore hujus mortis circundati peregrinantur in hac vita, sunt perfectè regenerati, habitat enim in illis malum & sentiunt in membris suis

suis legem repugnantem Legi Dei, & carne serviunt legi peccati, ut docet Apostol. ad Rom. 7. non possunt igitur in moribus non errare. Nam quod omnes & singuli, ex quibus Ecclesia constat, faciunt, hoc ipsum Ecclesiam facere posse necesse est. Deinde omnes homines quamdiu hic peregrinantur, etiam perfectissimi quique ex parte cognoscunt, 1. Cor. 13. 9. Qui verò ex parte tantùm cognoscunt, possunt errare, ignorantia enim est erroris mater. Non dubium igitur Ecclesiam militantem errare posse. Nam ut modò dixi, Ecclesia non potest non facere quod omnes isti faciunt, qui ad Ecclesiam pertinent. Deinde Ecclesia militans constat ex electis & reprobis. De reprobis non est dubium, quin sæpe errent & moribus & doctrina. Electus verò erat Iohannes, & angelum bis adorabat. Electus erat Petrus, & Christum abnegabat. Electi erant Apostoli, & præjudicabant Christum non resurrecturum esse, iidem ægrè ferebant Evangelium gentibus annunciari. Si mihi totos cœtus objicis, lege quæ Apostolus de Galatarum & Corinthiorum Ecclesia scripserit Paulus, & quæ de Pergamensium Thyatirensium Ecclesia scripserit Iohannes. Expende quid omnibus Ecclesiis, quæ in oriente fuerunt, acciderit. si excipis Romanam parum proficis. Nam Athanasius epistola ad solitariã vitam agentes, Hilar. contra Const. Aug. Hieronym. in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum testantur Liberium se junxisse Arri-

Ecclesia potest doctrina errare.

Electi possunt errare.

Papa Romanus erravit.

anis, & subscripsisse damnationi Athanasii. Synodus sexta act. 12. & 13. Testatur Honorium fuisse Monothelitam. Luitprand. lib. 6. cap. 7. dicit Iohannem duodecimum adorasse Dæmonẽ. Onuphrius append. ad Platinam, Guicciardinus lib. 1. & 6. testantur Alexandrum sextum immolasse Dæmoni, de eodẽ dicit Zanazarius, *Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re, Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.* Synodus Constantiensis sess. 11. art. 6. vocat Iohannem propter profligatam impietatem *Diabolum incarnatum.* Vt manifestũ sit quemlibet Episcopum etiam Romanum, & moribus & doctrina errare posse, & sæpe errasse.

Fortè requiris ut de Romana Ecclesia exemplum erroris producam: Tota Romana Ecclesia est impia & detestanda Simonia fœdata. Omnia enim sacra venduntur & emuntur. Eras. chiliad. 1. cent. 9. adag. 12. *Quas non tragædias movent.* (loquitur de sacerdotib.) *pro suis illis decimis, quã odiose divexant miseram plebiculam? Non datur baptismus,* hoc est, *non licet fieri Christianum, nisi numeres. Atque his præclaris auspiciis fores ingrederis Ecclesiæ; Non comprobant matrimonium, nisi numeres; Non audiunt pœnitentium commissa, nisi sperent mercedem. Sacrificant conducti; Non psallunt gratis, Non orant gratis; Non imponunt manum gratis; Vix procul mota manu benedicunt, nisi dederis; Non consecrant saxum, aut calicem, nisi data mercede; Quin & illud verè pontificium munus docendi populum quæstu vitiatum est. Denique non impertiunt*

Simonia.

pertiunt corpus Christi nisi numeres. Ut ne dicam interim, quantus quæstus colligatur ex litibus, ex dispensationib. ex condonationibus, (indulgentias vocant) *è conferendis sacerdotiis, confirmandis episcopis & Abbatibus. Sed quid apud istos gratuitum sit, apud quos emitur sepultura etiam in alieno solo?* In taxa Apostolica, omnibus peccatis, certa pretia, quibus redimantur, constituta sunt. *Taxa Apostolica.*

In Annatis legimus, quantam vim pecuniæ ex venditione Episcopatuum & Abbatiarũ conficiat. Omnes species hujus simoniæ exprimere esset magni laboris. Cæteris igitur missis, ex centum sacri Romani Imperii gravaminibus, quibus hæc Papalis Simonia graphicè describitur, tantùm referam tertium gravamen. *Illud importabile jam olim increbuit indulgentiarũ onus, quando sub persona pietatis, cùm aut Basilicas Romanas construere, aut profectiones in Turcas parare polliciti sunt, Romani pontifices, omnem à simplicibus, nimiumq; credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè majoris est faciendum per has imposturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata est germana Christianorum pietas, dum qui extrudere volebant venales suas* BULLAS, *laudes suis mercibus occinebant, miras & inauditas, condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas, aut futuras viventium, sed & functorum vita existentium in purgatorio* (quod vocant cantores illi indulgentiarum) *ignis, modò numeraretur aliquid, modò tingant dextra, atque his* *Annata.* *Indulgẽtia.*

mercium

mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, quando quilibet pro precij, quod in has merces expenderat, modo peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed et post obitum ære licet immodico, comparari posse a nundinatoribus illis indulgentiarijs, semel persuasum habent? maxime Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, sub religionis persona nihil non persuaderi difficile est? Plura vide in libro isto centum Gravaminum. His artibus Romana Ecclesia tantas opes conflavit, ex opibus luxus & fastus ille, quo Romanenses omnes mortales superant, natus est. Neque hunc luxum fastumve sine his opibus tueri possunt. Hinc est quod Felinus dicit (ut refert Sotlivius) de offic. judic. deleg. cap. ix. parte IV. I. *Sine Simonia reditu Romanam sedem contemptibilem fore.* Hoc scelere totum corpus Romanæ Ecclesiæ miserè fœdatum est. Testatur hoc ipse Papa Adrianus VI. qui ut Iesuitæ respondent, errare nequit, in instructione ad Cheregatum. *Scimus*, inquit, *in hac sancta sede, jam aliquot annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis pontificibus in alios*

Papatus sine simonia stare nequit.

Curia Romana corrupta.

alios inferiores prelatos descenderit. Et, *Quainre, quod ad nos attinet, polliceberis, nos omnem operam adhibituros ut primum curia hæc, unde forte omne hoc malum processit reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit: ita etiam ab eadem sanitas, & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus.* Et. *Quamquã nemo mirari debet, si non statim omnia errata & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius, & multiplex, pedetentim in ejus curu procedendum est, & prius gravioribus magisq; periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus.* Huc accedit totum clerum vagis & illicitis libidinibus contaminatum esse. Papa enim sacerdotum conjugia diremit, iisque legitimo conjugio interdixit, ac licet Deus disertè in verbo suo pronunciaverit; *Episcopum debere unius uxoris virum esse:* 1. Tim. 3. 2. *Et conjugium inter quoslibet honorabile esse:* Hebr. 13. 4. tamen eo non obstante Papa eorum conjugia divulsit, eaque *pollutiones* esse pronunciavit, quin jure papali sancivit ut presbyteri scortarentur. Disertè enim in eo scriptũ est. *Presbyter, qui non habet uxorem,* DEBET *habere concubinã,* distinct. 34. c. Is qui. Vt autem eorum vita fœdis hisce & abominandis flagitiis contaminata est: ita cultus quo se Deum colere jactant, est impurus.

purus. Cultum enim uni Deo competentem quem illi λατρείαν vocant, tribuunt sculptilibus à se factis, Thom. part. 3. quæst. 25. art. 3. *Cùm Christus adoratione latriæ sit adorandus, imago quoque ejus eadem adoratione adoranda est*, Et art. 4. *Crux Christi, in qua Christus crucifixus est, cùm propter repræsentationem, tum etiam propter Christi membrorum contactum latria adoranda est. Crucis verò effigies in alia quavis materia, priore tantum ratione latria adoranda est.* Concil. Nicen. 2. act. 4. *Non sunt duæ adorationes, sed una adoratio, imaginis, & primi exemplaris, cujus imago est.* Constantinus Constant. Episcopus in concil. Nic. 2. *Ego imaginibus eundem honoris cultum exhibeo, qui debetur sanctæ Trinitati.* Thomas in III. sentent. distin. 11. *Imago & exemplar eodem genere adorationis coli debent.* E. g. *Crux seu imago Christi adorari debet latria, quoniam ipse Christus sic adorandus est.* Stellarium coronæ lib. 12. part. 1. art. 1. *Crux Christi adoranda est eadem adoratione, qua Christus, videlicet latria.* Damascen. lib. 4. cap. 17. *Honor imaginis refertur ad prototypum*, id est, *ad figuratum*. Ergo idem est adorare imaginem, & eum, cujus est imago. Si ergo ipse Christus adoratur adoratione latriæ, etiam ejus imago adoratione latriæ adoranda est. Pelbertus de Temesvvar part. 2. sen. 59. de exaltat. crucis. *Si loquimur de cruce Christi in alia materia, scilicet ligni, lapidis, & hujusmodi, sic tantummodo veneramur eam, ut Christi imaginem, adoratione latriæ.* Et, *Idem est motus in imaginem*

Cultus est corruptus.

& ip

& in rem cujus imago est, ideo cùm Christus adoratur latria, etiam imago ejus debet latria adorari. Lochmeier ser.93. *Cùm idem sit motus in imaginem, & rem, cujus imago est.* Dat Bonaventur. in 3. dist.9. hanc regulam, *Quòd cuilibet imagini talis est exhibendus honor, qualis debetur rei, cujus est imago: Cùm ergo Christus adoratur adoratione latriæ, consequens est, quòd imago Christi, sit adoratione latria adoranda.* Hinc factum est, ut ab imaginibus petant, quod Deus à se peti jussit, idque jure. Verus enim Dei cultus est, eum ex omnibus viribus diligere, hoc est, eum pro suo Deo agnoscere, & quidem solum, in eo spem & fiduciam collocare, ab eo salutem expectare, & ad eum in omnibus angustiis confugere. Rectè igitur faciunt, qui imaginem Christi omnibus viribus diligunt, hoc est, qui eam pro vero & Deo suo habent, & quidem solam, in ea spem & fiduciam suam ponunt, ab ea salutem expectant, & ad eam in omnibus angustiis confugiunt. Idem enim honos, ut antè probatum est, debetur imagini & archetypo. Papistæ hoc verbo quidem confiteri erubescunt, reipsa tamen faciunt. Maria enim AEgyptiaca imaginem divæ virginis ita alloquitur: *O virgo domina auxiliare mihi, quæ* NEMINEM *habeo, qui mihi suppetias ferat.* Antidotario, ad imaginem crucis. *Signum sanctæ crucis defende me ab omnibus malis.* Oratione ad Veronicam; *Salva sancta facies impressa panniculo, nos ab omni macula purga vitiorum, atq; nos consortio junge bea-*

Petunt ab imaginib. quod tantum à Deo peti debet.

ge beatorum, nos perduc ad Patrium ô felix figura, ad videndum faciem, quæ est Christi pura, Esto nobis quæsumus tutum adjuvamen, dulce frigeriū, atque consolamen, ut nobis non noceat hostile gravamen, sed fruamur requie, omnes dicunt Amen. Quæso te, Bellarmine, reputa hanc rem recta ratione, & judica, quàm longe vos Papistæ abstitis ab illis, *qui dicunt ligno, Pater meus es tu, & lapidi, Tu genuisti me.* Ierem. 2. 27. Sed ad rem. Stellario coronæ lib. 12. part. 1. act. 1. & passim in ritualibus papistarum libris.

O Crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisq; dona veniam.

Imaginibus indi- tur vis divina.

Hanc virtutem, opinor, indunt imaginibus, cùm eas consecrant Pontificali. *Rogamus te sempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, bonorum operum profectus, redemptio animarum, tutela contra sæva jacula inimicorum.* Et, *Sanctifica Deus hanc formulam beatæ virginis, ut tuis fidelibus salutarem auxilij opem ferat, tonitrua aut fulmina, si invaluerint nocentia, celerius expellantur. pluviarum quoque inundatio, aut civilium bellorum commotio, seu paganorum devastatio, ad præsentiam ejus comprimantur.* Et. *Præsta ut omnes illam* imaginem Iohannis Euangelistæ, *cum reverentia intuentes, precésque coram illa fundentes, pro quacunque necessitate orave-*

traverint, exaudiantur. Sit hæc imago Dæmonum sancta expulsio, Angelorum advocatio, fideliumq; protectio, ejusque in hoc loco potenter vigeat intercessio. Hanc ob causam penè eandem vim ascribunt imaginib. quam sacræ litteræ Deo tribuũt. Discipulus serm. 21. de inventione sanctę crucis. *Ubicunq; Dæmones signum sanctæ crucis viderint, fugiunt baculum timentes, quo plagam acceperunt.* Et, *Iuvenis, cui Dæmones volebant persuadere, ut Christum abnegaret, signavit se sancta cruce, statimque omnis multitudo signum sanctæ crucis non valens ferre disparuit. Tunc ille surgens intravit Ecclesiam, & statim imago crucifixi, quæ erat in Ecclesia, sibi inclinavit.* Lochmeyer serm. 53. de inventione crucis. *Figura crucis devotè formata Dæmonas fugat & vincit.* Et, *Signum crucis à nobis expellit exterminatorem.* Et, *Iudæus Romæ in templo Idolorum pernoctavit, & advenientib. Dæmonibus signavit se signo crucis, & Dæmones non potuerunt sibi nocere.* Et sermon. 54. *Dæmon non ausus fuit vexare Iudæum, qui se signaverat cruce, dixit enim, vas vacuum, sed signatum.* Pelbertus de Temesvvar, *Si te premit caro, si Dæmon paravit insidias, fuge ad signum crucis Christi, & liberaberis.* Et, *Per crucis signaculum à nobis infernalem fugamus inimicum.* Et, *Ubi signum crucis cum devotione præcesserit, ibi non nocebit inimicus.* Et, *Contra hoc signum nullum stat periculum.* Oratione ad Veronicam. *Sancta facies purga nos*

Eandem fere vim ascribunt imaginib. quam scriptura Deo tribuit.

ab omni macula vitiorum. Homines mortuos religiose adorant, iis templa dedicant, dies festos consecrant, iisdem vota faciunt & solvunt, ab iis salutem petunt. Libro conformitatum. *Francisce Iesu typice, dux & norma minorum, da nobis perpetua gaudia regni cœlorum.* Qui hæc & similia diligenter expendet, judicabit verissimũ esse, quod scribit Vives in August. lib. 8. cap. 27. de Civitate. *Multi Christiani in re bona plerumq; peccant, quòd divos divásque non aliter venerantur quàm Deum. Nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod gentiles putabant de suis diis.*

Creant novum Christum. Vt cultum Dei adulterant, ita novum Christum in mundum introduxerunt. Pomerius celebratione primitiarum, *O veneranda dignitas sacerdotum, in quorum manibus, tamquàm in utero virginis filius Dei incarnatur.* Idem iisdem verbis recitat Lochmeyer serm. 114. de celebratione primæ missæ. Et, *O Sacerdos Dei vicarie, & Pater Christi, sublimior es angelis, Nam illi meruerunt esse servi Christi, tu verò meruisti esse pater Christi.* Biel. sup. canon. Missæ lect. 4. *O vere mundi gaudium, cùm Christus tractat Christum, sacerdos Dei filium, quis unquam audivit talia? quis vidit similia? Qui creavit me sine me, dedit mihi* (si fas est dicere) *creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me.* Et, *Sacerdos est creator sui creatoris.* Antidotario animæ. Oratione, salve sancta facies, facta

per

per Iohannam Papam ejus nominis vicesimum secundum. *Qui rex fit ex pane.* Lochmeyer serm. 112. de celebrat. prim. Missæ. *Tanta est virtus sacerdotis, quòd quotidie efficitur creator sui creatoris.* Et serm. 114. de primitiis novi sacerdotis. *Sacerdos potest creare suum creatorem.* Hunc Deum à se creatum adorant ipsi, & populo adorandum prostituunt, & cùm eum diu multumque religiosis cultibus placaverunt, devorant eum, & in ventriculo suo sacerdotes sepeliunt, de consecrat. distinct. 2. cap. Ego Berengarius. *Verum Christi corpus non in sacramento, sed in veritate, sensualiter frangitur manib. sacerdotum.* Speculo Ecclesiæ. *O sacerdos, corpus tuum quotidie efficitur sepulchrum Christi.* Vita Sacerdotum. *O sacerdos, os tuum quotidie efficitur receptaculum & sepulchrum Christi.* Idem totidem verbis repetitur in Stella clericorum.

Devorant Deum.

Ad hæc Christo, qui est unicus noster Mediator, alios mediatores apponunt. Bernardinus Mariali. par. 3. serm. 1. part. 3. *Maria est mediatrix inter nos & Deũ*, & par. 3. ser. 3. par. 3. *Ipsa* (Maria) *est mediatrix nostræ salutis, nostræ cũm Deo conjunctionis, justificationis & reconciliationis.* & part. 9. serm. 2. assim. 6. *O virgo lucidissima, opera nostra mediante tua intercessione, sunt Deo grata, & nobis utilia, & sine illa sunt acerba, & à Deo non acceptantur.* & part. 9. serm. 2. assimil. 8. *O virgo lucidissima, tu omnium misereris, quia potes omnia.* &

Constituunt alios Mediatores.

part.3.serm.2.part.3 *Invocantibus eam*, Mariam, *subvenit universis, & omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus suscipiant universi.* Sed his non contenti eam Christo anteponunt. Bernard. part.3. serm.3. part.5. *Cum Deus habeat justitiam & misericordiam, justitiam sibi in hoc mũdo exercendam retinuit, & misericordiam matri concessit; & ideo si quis sentit se gravari à foro justitiæ Dei, is appellet ad forum misericordiæ matris ejus.* Antonin. tom.3. titul.31. cap.4, *O quot sententias horribilium flagellorum, quæ meruit mundus propter peccata sua, hæc sanctißima virgo misericorditer revocavit.* Antidotario, Oratione, Ante sanctitatis tuæ pedes. *Tremendam judicis sententiam in mansuetudinem converte.* Quin tandem Iesum Christum à Mediatoris munere planè excluserunt. Antidotario, Oratione, Sancta Maria. *Ignoro ad quem confugiam, Nisi* (nota exclusivam) *ad te Dominam meam dulcißimam virginem Mariam.* Et, Oratione, O clementissima. *Adsis ne desperatione succumbam mortis in agone, cùm* NULLA SPES EST ALTERA (nota exclusivam) *nisi tu virgo puerpera, Patris parens & filia, cui me reconcilia.* Hinc quæ sunt Dei propria, & quæ scriptura Deo ascribit, tribuuntur ab illis Mariæ. Psalt. Mariæ Psalm. 2. *Venite ad eam omnes, qui laboratis, & solatium dabit animis vestris.* Psal.30. *In te Domina speravi, non confundar in æternum.* Psalm. 50. *Miserere*

Mariam Christo anteponũt.

Excluserunt Christum.

Tribuunt Mariæ, quod scriptura Deo tribuit.

mei

mei Domina secundùm magnam misericordiam tuam. Bernard. part.9. serm.2. assimilatione 7. *Beata Maria contrivit caput Diaboli.* Propter hanc causam fortasse necesse fuit textum Biblicum corrumpi, ut ubi in hebræo legitur, IPSUM *conteret tibi caput*, legatur, IPSA *conteret tibi caput.* Gen.3.15. Adhæc excogitarunt novam doctrinam de homine justificando. Docent enim hominem per monasticam salvari. Vincent. spec. hist. lib.21. cap.123. Honorius III. vel ut alii numerant, IIII. *Non solùm regulam Carmelitarum confirmavit; sed eam quoque in remissionem peccatorum conservandam tradidit.* Libro conformitatum. *Qui Francisci regulam non servat, pœna punitur æterna; qui verò regulam servat, vita remuneratur æterna.* Breviario Franciscanorum. *Quicunque diligit ordinem Francisci, quantumcunque sit peccator, misericordiam à Domino consequetur.* Speculo minorum, tract.3. formula recipiendi ad professionem. *Ego voveo Deo, & beatæ Mariæ, & beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater, toto tempore vitæ meæ servare regulam fratrum minorum.* Respondet Prælatus, *Si tu hæc observaveris, ego promitto tibi vitam æternam.* Bernard. Rosario. *Religiosus per professionem, Deo talem exhibet cultum, ut per hanc consequatur perfectam remissionem & indulgentiam omnium suorum peccatorum, à pœna & à culpa.* Discipul. part.I. serm.121. de Relligiosis. *Quæritur utrum*

Nova doctrina justificationis.

quis per ingressum Relligionis consequatur remissionem omnium peccatorum? & respondetur, quod sic. Unde in vitis patrum legitur, quòd eandem gratiam consequentur ingredientes & profitentes Relligionem, quam consequuntur baptizati. Eandem penè virtutem Cappę moneticę tribuunt. Breviario de consecrat. cucull. monast. orate Deum, *Ut vestem istam ita benedicat, & sanctificet, ut sint arma fortia ad tegenda peccata, & tutum munimen contra Spiritus aëris, & ignita tela inimici.* Vita Bernhard. lib. 4. cap. 1. *Monachus quidam ægrotans cucullo Bernhardi imposito continuò sanitatem recepit, ejusdémque stola Diabolus ex quodam viro ejectus fuit.* Vincent. lib. 31. c. 104. *Cappa fratris Petri Mediolanens. cujusdam nobilis filium angina laborantem sanitati restituit, eundémque nobilem, ubi gravissimos & ipse dolores pectoris perpessus fuisset, eandémque cappam, quam ex eo tempore diligenter conservarat pectori applicasse, & mox vermem bicipitem, pilorúmque densitate villosum evomuisse, & sanitatem recuperasse.* Possem hujusmodi plura adducere, sed non est necesse, Ex his n. satis superque constat Ecclesiam Romanam in doctrina & moribus errasse.

Cappa Monastica.

LIBER

LIBER QVARTVS
De Ecclesiæ notis.

Caput I.
Status controversiæ.

Ecclesiam universalem non esse visibilem, eandemq; in terra militantem posse ad eas angustias adigi, ut cogatur se à mundi conspectu occultare, & posse eandem in doctrina fidei & morum errare, docuimus Libro superiore. Sequitur ut inquiramus, quænam sint veræ Ecclesiæ notæ, ut constet, quomodo ab aliis cætibus distingui, discernique debeat. De hac re sunt duæ sententiæ, una Catholicæ, altera Papisticæ Ecclesiæ. Catholici dicunt veras Ecclesiæ notas esse, sinceram videlicet divini verbi prędicationem, & legitimam sacramentorum administrationem. Papistæ negant has duas veras Ecclesiæ notas esse, & alias Ecclesiæ notas tradunt. Nos primùm de prima, deinde de secunda disseremus.

De notis Ecclesiæ.

Status cōtroversiæ.

Caput II.
Refutantur argumenta adversariorum, quibus volunt probare sinceram Dei verbi prædicationem non esse veram Ecclesiæ notam.

Argumenta, quibus probant verbū Dei non esse Ecclesiæ notā.

PApistæ afferunt quædam argumenta, quibus volunt probare sinceram Dei verbi prędicationem non esse veram Ecclesiæ notam. Primum *quia sincera veritatis prædicatio est nota communissima. Convenit enim Ecclesiæ & alijs cætibus.* Sed est fallum, quòd dicit sinceram Dei verbi prædicationem esse multis sectis communem. In eò enim differt vera Ecclesia, à cæteris conventibus, quòd illa sola habeat sinceram verbi prædicationem, Deut.4.8. *Quæ est gens ita magna, cui sint statuta & judicia justa, sicut est universa lex ista, quam ego do coram vobis hodie?* Hoc cùm videret adversarius addit, *saltem opinione ipsorum.* Deinde non quod hic, vel illę opinatur suum proprium esse, sed quod ad eum solum semper pertinet, id est, quod verè ejus proprium est, hoc est ejus proprium. Deinde ex hoc loco colligitur sinceram verbi Dei prædicationem esse veram Ecclesiæ notā. Quòd enim omnes sectæ, quæ se Christi Ecclesias esse dicunt, communiter statuunt, id videtur verum esse. Sed istæ omnes dicunt sinceram Dei verbi prædicationem esse veram Ecclesiæ notam. In hoc non errant; sed errant, dum quælibet secta sibi sinceram Dei verbi prædicationem arrogat. Posthæc deducit ad inconveniens, & dicit sinceram Dei verbi prædicationem esse vel ab omni errore, vel saltem à fundamentalibus erroribus puram. Si primum, tum Lutheranorum Ecclesia non est vera Ecclesia; hi enim fatentur suas

Vera verbi Dei prædicatio an conveniat aliis cætib.

Eccle-

Ecclesias non carere nævis. Si secundum, tum hæc nota est communis multis sectis. Multæ enim sectę retinent præcipuos articulos fidei, ut Lutherani, Zvvingliani, & Pelagiani, antequàm Nestorianos parerent. Sed quidam cætus possunt esse veræ Ecclesiæ, & tamen habere quosdam nævos in doctrina. Galatis enim Dei verbum sincerè prædicabatur, ut & Corinthiis, & tamen Galatarum, Corinthiorumque Ecclesiæ non prorsus carebant nævis. Non rectè igitur dixeris Ecclesiam, quæ non prorsus caret nævis, non habere sinceram Dei verbi prædicationem, ratio est, quòd illa, quæ sunt essentialia, non auferuntur, simulatque aliquo nęvo asperguntur. Deinde est falsum, quòd dicit Pelagianos priusquam parerent Nestorianos, fuisse puros à fundamentalibus erroribus, priusquam enim parerent Nestorianos, corruperunt doctrinam peccati originis, liberi arbitrii, justificationis, & similium. Sed hæ sunt doctrinæ fundamentales.

Vera Ecclesia habet quandoque suos nævos

Aliud. Notæ debent esse notiores ea re, cujus sunt notæ, sincera Dei verbi prædicatio, sive loquaris de externa, sive de interna prædicatione, nō est notior Ecclesia. Notius enim est duplex, unum naturâ, alterum nobis. Nobis notiora sunt externa signa, per quæ rem quandoque cognoscimus, sive sint accidentia, sive effecta. Naturâ notiora sunt, ea quæ vocamus essentialia, sive quæ rei essentiam constituunt. Hęc nobis quandoque ipsa re, quam quærimus, ignotiora sunt.

Nota est natura notius ea re, cujus est nota.

Notius duplex.

Qui tamen rem subjectam rectè cognoscere cupiunt, debent hac viam tenere. Scire enim est rem per causas cognoscere, causæ verò (loquor de causis internis) ipsam rei essentiam constituunt, & nos ad eam deducunt, Si quis hoc ad rem præsentem accommodabit, facilis res est. Quæritur enim quænam sit vera visibilis Ecclesia? Hujus rei sunt duplicia signa, una externa & in oculos incurrentia, altera interna, essentialia, & quæ sola mente comprehendi possunt. Externa sunt congregatio, Prędicatio, sacramentorum communicatio, & similia. Hæc autem ipsam Ecclesiæ essentiam non attingunt. Sunt enim hæreticorum conventiculis, & veris Christianorum Ecclesiis communia. Ignorabimus igitur, quid sit Ecclesia, aut deveniendũ est ad ea, quæ ipsam Ecclesiæ quidditatẽ & essentiam ostendunt. At hæc non corporis, sed fidei oculis percipi possunt; Corporis oculis non possunt investigari. Quę enim humanis sensibus (qualis est visus corporeus) percipiuntur, de iis omnes homines eodem modò judicant, ut nivem omnes judicant albam esse. De Ecclesia verò omnes homines non judicant eodem modo. Omnes enim non agnoscunt veram Ecclesiam. Agnoscerent autem, si ejus essentiam externis sensibus perciperent. Relinquitur ergo veram Ecclesiæ essentiam solius fidei oculis percipi posse. Et hoc docet fides Catholica. *Credo unam sanctam Catholicam Ecclesiam.* Sed verbum Dei est objectum, imò

Vera Ecclesia essẽtia nõ corporeo sensu sed mente cognoscitur

μέτρον fidei. Quæcunque enim credimus, ex verbo Dei petenda sunt. *Fides enim est ex auditu, auditus autem per verbum Dei*. Rom. 10. 17. Manifestum igitur est, veram Ecclesiæ cognitionem ex verbo Dei petendam esse. Hoc verbum est natura notius, quàm Ecclesia, est enim Ecclesia prius, & docet quid de Ecclesia credendum sit, imò quænam Ecclesia fide tenenda sit, ostendit. Hominibus verò interdum ignotius est, sed illi, quibus *Deus hujus seculi excæcavit mentes, nempe infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi*. 2. Cor. 4. 4. In quorum verò cordibus Deus splenduit, ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi, iis ignotius non est. Hoc confitebuntur ii omnes, qui considerant Ecclesiam esse rem spiritualem, & ex spiritualibus principiis cognoscendam esse. Qui enim spirituales non sunt, non intelligunt spiritualia principia, multò minus intelligunt eas res, quæ ex spiritualibus principiis cognoscuntur. Breviter, si major de iis quę sunt nobis notiora intelligitur, tum est falsa. Si verò de iis accipitur, quæ sunt natura notiora, tum minor est falsa. Verbum enim Dei natura notius, quàm Ecclesia. Hæc ad majorem sufficiant, ad minorem dico esse manifestam contradictionẽ. Antè enim dixit hanc notam esse communissimam, Communissimum enim esse, & obscurius sive ignotius esse, sunt pugnantia, quò enim unumquodque communius, eò etiam notius.

Quod

Quod ad minoris probationem attinet, ea pugnat cum Theologia & Philosophia simul. Cum Theologia Matth.7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, sed fructus sunt effecta. Cum Philosophia, substantia enim demonstratur per effecta, & ea ipsa effecta sunt notæ substantiæ. Arboris enim substantia, ex succu, floribus, & fructibus arguitur, & vice versa flores, succus & fructus arguunt arborem, hoc est, sunt notæ arboris. Plane eodem modo, ex verbo Dei ostenditur Ecclesia, et verbum Dei ostendit Ecclesiam, hoc est, est nota Ecclesiæ. Hoc ipsum volens, nolens dicit Adversarius. Dicit enim Ecclesiam testari de verbo, quod fatemur. At quomodo testatur? nempe quia in ea sunt, veri Pastores, quos Deus Ecclesiæ præfecit? At quomodo hi docent? sincerè docendo Dei verbum. Sed hoc idem est, quod nos dicimus, nempe Ecclesiam per sinceram Dei verbi prædicationem docere se veram Ecclesiam esse. Sincera igitur verbi prædicatio est genuina Ecclesiæ nota. Post hæc allegat patres, ex quibus vult docere verbum Dei non esse Ecclesiæ notam. Primo loco producit Irenæum.

Irenæus. Is lib.3.cap.4. *Quia enim si de aliqua modica quæstione disputatio orta fuisset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum est?* Sed hoc dictum non pugnat cum nostra doctrina, quæstio enim est, an verbum Dei scriptum sit nota Ecclesiæ? Adversarius hoc negat. Conclusio igitur

est,

est, verbum Dei non est nota Ecclesiæ. Medius terminus. Ecclesia antiquissima docet, quid controversia exorta, certum sit, quid non? quasi dicat.

Quod docet quid, controversiis exortis, certum sit, ejus nota non est verbum scriptum. Sed Ecclesia antiquissima docet, quidnam certum sit, cùm controversia exorta est. Ergo Ecclesia est id, cujus nota non est verbum Dei scriptum.

Respondeo majorem esse falsam. Ecclesiam enim docere, quidnam sit certum, cùm controversiæ oriuntur; Et, Verbum Dei scriptum esse notam Ecclesiæ, simul vera esse possunt. Videntur enim esse contraria, sed non sunt. Est igitur ignoratio Elenchi. Ecclesia enim hoc docet, sed docet illud per traditionem Apostolicam, hoc est, per verbum Dei scriptum ab Apostolicis, viva voce Ecclesiis antiquissimis traditum, deinde literis consignatum. Vnde apparet antiquissimam Ecclesiam, profitendo sinceram & incorruptam Apostolicam traditionem, docere quid certum sit. Hanc esse Irenæi mentem, constat ex ipso Irenæo, lib. 3. cap. 4. *Quàm facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis qui velit, sumat ex ea potum vitæ, Apostoli in Ecclesiam tanquam in dives depositorium contulerunt veritatem.* Hanc veritatem cùm profert Ecclesia, ostendit quid sit certum &

tum & re ſiquidum. Sed veritas hæc, eſt verbum Dei primùm traditum, deinde ſcriptum. Verbum igitur ſcriptum eſt vera Eccleſiæ nota. Deinde hoc dictum non juvat Adverſarium, non enim ſi antiquiſsima Eccleſia habet veritatem, etiam moderna Romana habet veritatem. Vt enim nemo rectè dixerit, tempore Irenæi ſi controverſia incidiſſet, poterant Chriſtiani Epheſum contendere, & ab ea Eccleſia ſumere veram Apoſtolicam traditionem. Ergo ſi nunc controverſia in Eccleſia oritur, debent Chriſtiani Epheſum contendere, & ab iſta Eccleſia ſumere Apoſtolicam veritatem. Planè eodem modo, & ſi tempore Irenæi poterat quis Romam contendere, & ab ea Eccleſia diſcere Apoſtolicam veritatem; tamen non ſequitur Romanam Eccleſiam nunc docere Apoſtolicam veritatem. Quoniam autem Eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ deſciverunt à veritate Apoſtolica, quæritur unde illa veritas quærenda ſit? reſpondeo ex ſcriptura. Irenæus lib. 2. cap. 46. & 47. *Sanum ſenſum, et qui ſine periculo eſt, ipſum eſſe, qui apertè & ſine ambiguo, ipſis dictionibus in ſcriptura ponitur*, lib. 3. cap. 12. *Oſtenſiones quæ ſunt in ſcripturis, non poſſunt oſtendi, niſi ex ipſis ſcripturis*, lib. 4. cap. 63. E.g. Legitima ſcripturarum expoſitio eſt illa, quę eſt ſecundum ſcripturas. Non igitur quid hæc, vel illa Eccleſia dicit, verum eſt, ſed quod verbum Dei dicit, verum eſt. Ac proinde cum Eccleſia idem dicit, quod verbum Dei, verum eſt, & eſt

Non quicquid veteri Romanæ Eccleſiæ convenit eidem modernæ tribui debet.

Sanus ſenſus eſt in ſcriptura.

vera

vera Ecclesia, cùm autem non idem dicit, quod verbum Dei, non dicit verum, & est Ecclesia malignantium. Vera igitur Ecclesia per verbum Dei à falsa Ecclesia distinguitur.

Post Irenæum adducit Tertullianum cap. 21. de præscrip. contra hæreses. *Quòd autem prædicaverint, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribunt, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva (quod ajunt) voce, quàm per epistolas posteà. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis nutricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, reliquam verò omnem de mendacio præjudicandam.* *Tertullianus.*

Per quod probatur, quænam sit vera doctrina Christi, ejus vera nota non est doctrina Christi. Sed Ecclesia est id, per quod probatur, quænam sit vera Christi doctrina, ergo non est vera nota Ecclesiæ.

Respondeo majorem esse falsam. Ecclesias enim ab Apostolis conditas, Apostolicamq; doctrinam retinentes testari de doctrina Apostolica, & doctrinam Apostolorum esse Ecclesiæ notam putantur contraria, sed non sunt contraria, possunt enim simul vera esse, per Ecclesiam enim Apostolicam probatur quid Apostoli prędicaverint, cùm ostendit quid Apostoli primùm viva voce, deinde scriptis tradiderunt. Vel quod idem est, cùm docet, quid Ecclesiæ ab Apostolis,

lis, Apostoli à Christo, Christus à Deo acceperit. Sed cùm hoc facit, seipsam à falsa Ecclesia distinguit, illa enim Ecclesia, quæ docet, quod Christus Apostolis, Apostoli Ecclesiis tradiderunt, est vera Ecclesia, illa verò, quæ non docet, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo acceperunt, non est vera Ecclesia. Vera igitur Ecclesia à falsa per veritatem doctrinę distinguitur; & hoc docet Tertullianus eodem loco, addit enim, *Id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.* neq; hoc ignoravit Adversarius, hæc enim verba callidè ex contextu subtraxit. Idipsum Tertullianus eodem libro cap. 32. docet. *Ecclesiæ quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis autorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ deinde quotidie instituuntur, tamen in eadem fidè conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.* Vnde apparet consanguinitatem doctrinæ Apostolicæ esse veram notam Apostolicæ Ecclesiæ. Post Patres redit ad rationes. Prima, quia vera prædicatio, est prædicatio, & interpretatio veræ scripturæ divinæ. Quæ sit autem vera scriptura, & quis ejus sensus, non possumus scire nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ. Ergò Ecclesia potius est nota veræ prædicationis, quàm vera prædicatio sit nota Ecclesiæ.

An ex solius Ecclesiæ testimonio sciamus, quæ sit vera interpretatio.

Cujus solius testimonio scimus, quænam sit sacra scriptura, & quis verus ejus sensus,

ejus nota nec sacra scriptura, nec genuina ejus prædicatio esse potest. Sed Ecclesia est illud, cujus solius testimonio scimus quænam sit vera sacra scriptura, & quis ejus verus sensus. Ergo Ecclesia est illud, cujus nota nec sacra scriptura, nec genuina ejus interpretatio esse potest.

Effectum proprium potest rei cujus effectum est, nota esse.

Respondeo & majorem, & minorem esse falsam. Majorem, proprium enim alicujus rei effectum potest ejusdem rei propria nota esse. Exempli gratia. Solus Deus creavit hunc mundum; & tamen hic mundus est illustris nota esse unum verum Deum. Eodem modo, sola Ecclesia genuina, & vera explicat Dei verbum, & tamen genuina Dei verbi explicatio est illustris nota Ecclesiæ. Vt igitur mundus est effectum, & nota Dei, ita genuina scripturæ explicatio est Ecclesiæ effectum, & propria ejus nota. Minorem. Ex testimonio Ecclesiæ discimus quidem quænam sit sacra scriptura, & quis ejus verus sensus; sed non ex solius Ecclesiæ testimonio. Scriptura enim ut principium Christianorum dogmatum, per se nota est. Sed quia, principium hoc, ejusq; principiata sunt spiritualia, tantùm spiritualibus nota sunt. Ille minorem probat ex Augustino contra epistolam fundamenti cap. 5. Sed ibi non dicit nos ex solius Ecclesiæ testimonio discere, quæ sit sacra scriptura, tantùm dicit se Ecclesiæ autoritate ad credendum commotũ esse. *Ego*, inquiens, *non crederem Evangelio nisi me*

Ecclesiæ commoveret autoritas. quod l.7. de principiis Christianorum dogmatum, à nobis explicatum est. Deinde probat eandem minorem ex confessione VVirtenber. Calvini institutione, Melanthonis locis, sed ex iis omnibus nemo docet, scripturam per solius Ecclesiæ testimonium cognosci. Dicunt quidem eam cognosci per Ecclesiæ testimonium, sed non tantùm. Habent enim & alia argumenta, per quæ scripturæ autoritatem vendicant. Secunda. Quia veræ notæ sunt à vera Ecclesia inseparabiles. Sed genuina & pura verbi Dei prædicatio potest ab Ecclesia separari. Nam Ecclesia Galatarum & Corinthiorum sunt vera Ecclesia, cùm tamen illi asseruerint legem Mosis servandam esse, & hi mortuorum resurrectionem negarint. Addunt Ecclesiá Luciferianorum & Donatistarum, habuisse puram doctrinam, & tamen non fuisse veram Ecclesiam. Sed errant in utroque. Nam Galatæ contenderunt quidem legem Mosis servandam esse, sed non omnes. cap.4.21. *Dicite mihi qui sub lege vultis esse*, ubi liquidè ostendit non omnes tales fuisse cap.5.1. *In libertate, qua Christus nos liberavit, perstate, & ne regredientes implicamini servitutis jugo.* Sed qui credebant se lege justificari, jam regressi erant. cap.6.1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, instaurate hujusmodi hominem spiritu mansuetudinis.* De Corinthiis est idem judicium, 1.Cor.1.5. *Quòd in omnibus ditati sitis in ipso, omni loquendi facultate, omniq; notitia;*

Veræ notæ sunt à vera Ecclesia inseparabiles.

notitia. At qui omni notitia ditati ſunt, illi norunt mortuos debere reſurgere. Sed quid opus eſt verbis? 1. Cor. 15. 12. planè ducit, *Quomodo dicunt quidam inter vos non eſſe reſurrectionem mortuorum?* Ex his apparet non omnes Galatas, nec omnes Corinthios fuiſſe in ea opinione.

CAPUT III.

Sacram ſcripturam eſſe veram Eccleſiæ notam, probatur ex ſcriptura.

EXplicatis argumentis, quibus Adverſarius vult probare, ſacram ſcripturam & ſinceram ejus prædicationem, non eſſe notam Eccleſiæ: ſequitur ut oſtendamus, ſacram ſcriptutam & ſinceram ejus prædicationem eſſe propriam Eccleſiæ notam. Ioh. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*, & v. 4. *Oves eum ſequuntur, quia norunt vocem ejus. Alienum autem nequaquam ſequentur; quia non norunt vocem alienorum.*

Scriptura ſacra & vera ejus prædicatio eſt genuina Eccleſiæ nota.

Adverſarius reſpondet, hæc loca non docere ubi ſit Eccleſia, ſed docere qui ſint electi, nimirum qui corde perſeveranter audiunt, & retinēt verbum. Cùm autem non poſsit ſciri, qui corde audiant, non poteſt hæc eſſe, viſibilis nota Eccleſiæ. Hujus reſponſionis ſunt tria membra. Vnum, hæc loca non docere, ubinam ſit Eccleſia? Hoc fatemur, nullus enim certus locus aſſignari poteſt, in quo Chriſtus promiſerit Eccleſiam ſemper manſuram eſſe. Deinde Eccleſia ex-

uno loco ſubinde in alium migrat, nec uſquam in hoc mundo ſtabilis eſt. Alterum, hæc loca docere, qui ſunt electi. Sed hoc nec ſimpliciter verum eſt, nec noſtram cauſam lædit. Non ſimpliciter verum eſt, non enim loquitur de prædeſtinatione, ſed de Eccleſia, nec diſputat quinam ſint electi, ſed quinam ad ipſius ovile, id eſt, Ecclesiam pertineant. Eſſe autem aliquam differentiam inter eos, qui electi ſunt, & eas oves, quæ verbum Dei audiunt, inde apparet, quòd infantes ad electos pertineant, & tamen verbum Dei audire non poſsint. Noſtram cauſam non lædit. Electi enim ſunt de inviſibili Chriſti Eccleſia quæ efficacem communionem habet cum Chriſto. Hæc autem Eccleſia per efficacem auſcultationem verbi ab aliis cætibus diſtinguitur. Sed ut internæ Chriſti oves, id eſt, electi per efficacem Dei verbi auſcultationem ab iis, qui non ſunt electi, diſtinguuntur; ita externæ Chriſti oves, per externã verbi Dei auſcultationẽ; ab iis quæ nõ externæ Chriſti oves ſunt diſtinguũtur. Qui igitur verbum Dei audiunt, illi ſunt de Ecclesia. Qui verò illud auribus ſenſus tantùm audiunt, illi tantùm ſunt de ſenſibili Ecclesia. Qui verò illud auribus externis & fidei ſimul audiũt, illi ſunt de externa & interna Eccleſia ſimul. Hoc modo Simõ Magus fuit de viſibili Eccleſia tantùm. Simon verò Petrus de visibili, & inviſibili Eccleſia ſimul. Tertium, quod hæc interna auditio non eſt visibilis. Sed hoc nihil facit ad

Interna auditio nõ eſt viſibilis

rem;

rem. Etsi enim illa non est visibilis, profert tamen visibiles fructus, Mat.7.16. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui igitur verbum Dei sincerè audiunt, proferunt fructus cum verbo congruentes, hoc est, qui vivunt verbo congruenter, illos possumus dicere esse de ovibus Christi. Et ut omnia in pauca contraham, cùm illi pertineant ad Christi ovile, qui verbum Dei audiunt, & illi qui verbum Dei non audiunt, non pertineant ad Christi ovile, manifestum est, verbum Dei esse veram notam, qua Christi ovile, ab iis cætibus, qui non sunt ovilia Christi, distinguũtur. Chrysostomus hom.60.in Ioh. *Qui sequuntur, hi sunt ex ovili.* Cum hoc congruit, quod inquit Christus apud Iohannem cap.8. vers.31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Sed per quod discipuli Christi à reliquorum magistrorum discipulis distinguuntur, illud esse notam discipulorum Christi necesse est. Eandẽ notam ponit Moses lib.5.cap.4, vers.8. *Nam quæ est gens ita magna, cui sunt statuta & judicia justa, sicut est universa lex ista, quam ego do coram vobis hodie?* Ipse Deus Ecclesiam per suam legem ab aliis cætibus distinxit. Deinde Ecclesia ad normam sacræ scripturæ instituitur. Ios.23.6. *Roborate igitur vos valde, ut custodiatis & faciatis quicquid scriptum est in libro legis Mose, ut non recedatis ab eo, neque ad dextram, neque ad sinistram.* & cap. 24.25. *Percussit itaque Iosua fœdus cum populo in die illa: & proposuit ei præceptum et judicium in Se-*

chem. Act. 26. 22. *Nihil dicens extra ea quæ Prophetæ & Moses prædixerunt.* Eadem Ecclesia in Idololatriã collapsa ad normam legis & Prophetarum instauratur. 2. Reg. 23. 3. *Stetit autem rex juxta columnam, & pepegit fœdus coram Iehova, se ambulaturos post Iehovam, & custodituros præcepta ejus, decretaq; ejus toto corde & tota anima, ut suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta sunt in libro illo, & stetit universus Populus in fœdere.* Quin & Esdras ad scripturæ præscriptum Ecclesiam instaurat, Nehem. 8. Eodem modo Apostoli in novo Testamento, Ecclesias ad scripturæ normam plantant. Act. 26. 22. *Nihil dicens extra ea, quæ Moses & Prophetæ prædixerunt.* Ex eadem scriptura discimus, quodnam sit verum Ecclesiæ caput, quod est Christus, Ioh. 5. 46. *Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. Nam ille de me scripsit.* Luc. 24. 27. *Exorsus à Mose & Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de se scripta erant.* Sed ipsum corpus, id est, Ecclesiam & ejus caput, nempe Christum ex eadem scientia cognoscimus. Denique per hanc scripturam sanctificamur, Ioh. 15. 3. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Nec est, quod Adversarius excipit hunc sermonem esse invisibilẽ. Nam & interna mundatio est invisibilis; quid mirum igitur, si medium, per quod fit, est invisibile? Nihilominus tamen hic invisibilis sermo, profert fructus visibiles, ex iis judicamus, an aliquis sermonem hunc vera fide receperit. Cæterùm hic

Ecclesia juxta verbum corrigitur cùm collapsa est

Ex scriptura disciimus caput Ecclesia.

rum hic sermo accipitur auribus corporis & fidei simul, aut auribus corporis tantùm. Qui eum auribus corporis tantùm percipiunt, ii tantùm externa Ecclesiæ societate sancti sunt, qui verò eum auribus corporis & fidei simul recipiunt, illi & externa Ecclesiæ societate, & interna Christi communione sancti sunt. Vtraque hæc sanctitas videri potest, externis oculis corporis, quilibet enim videre potest, quidnam ad externam Ecclesiæ societatem pertineat. Interna per se quidem oculis corporis videri nequit, ex fructibus tamen cognosci potest. Relinquitur igitur sermonem Christi, hoc est, sacram scripturam esse veram & propriam Ecclesiæ notam. Præterea sola Christi Ecclesia in Christi nomine congregatur, Matth. 18. 20. *Vbi duo aut tres congregantur in meo nomine, illic in medio eorum ego sum.* Nam illi cætus in quibus Christus futurus est, illi congregantur in ejus nomine. Sed illi tantùm in ejus nomine congregantur, qui secundum ejus verbum congregantur.

CAPUT IIII.

Idem probatur ex patribus.

SAcram scripturam esse veram Ecclesiæ notam probavimus ex scriptura, sequitur ut idem probemus antiquæ Ecclesiæ testimonio. Antiquitus questio fuit, inter Donatistas & Orthodoxos, penes quos esset vera Ecclesia. Au- *Idem probatur ex patribus.*

gustinus de unitate Ecclesiæ cap.2. *Quæstio certè inter nos versatur, ubinam sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos?* Eadem quæstio versatur inter Catholicos Orthodoxos, & Papistas hæreticos. Quæstio enim est apud illos, ubinam sit Ecclesia, utrum apud hos, an apud illos. Hanc quæstionem si Papistæ ex iisdem fontibus determinare volunt, ex quibus Augustinus eam definivit, finis quæstionis sperari potest. Dicit autem Augustinus: *Inter nos autem & Donatistas quæstio est, ubinam sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in verbis Donati eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optime novit corpus suum, novit enim Dominus, qui sint ejus.* At si Ecclesia in verbo capitis, id est, in Scriptura quærenda est, tum scriptura designat Ecclesiam, eamque à cæteris omnibus sectis, & conventibus discriminat. Sed quod Ecclesiam designat eamque ostendit, & à cæteris omnibus sectis & conventibus discriminat, illud est vera & propria nota Ecclesiæ. Et cap.3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorũ auctoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utriq; servimus, ibi quæramus Ecclesiã, ibi discutiamus causam nostram.* Sed si Ecclesia in scriptura quærenda est, tum scriptura monstrat & designat Ecclesiã, nisi n. ita esset, frustra Ecclesia in scriptura quæreretur. Deinde si hæc controversia,

Ecclesia in scriptura quærenda.

troversia, ubi sit Ecclesia? ex scriptura discuti potest, tum plenè & sufficienter notat, ubi sit Ecclesia, nec aliunde discendum est, ubi sit Ecclesia, sed ex sola sacra scriptura hæc controversia dijudicari debet.

Et, *Nolo humanis documentis sed divinis oraculis Ecclesiam demonstrari.* Et, *In Scripturis sanctis Canonicis eam inquiramus.* Si Adversario cordi est hanc controversiam ad primitivæ Ecclesiæ exemplum dirimere, quærat nobiscum Ecclesiam ex sanctis Canonicis scripturis. Porrò inter nos & Adversarios quæstio est, de capite & corpore. De capite. Volunt enim duo esse universalia Ecclesiæ capita. Papam & Christum. Papam nos non agnoscimus. Solum Christum cum Augustino caput Ecclesiæ esse grato animo confitemur. Si ergo Ecclesiam invenire nobis cordi est, sequamur regulam Augustini cap.4. *Ipsum caput, de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire desinamus. Ille est autem unigenitus filius & verbum Dei, & ideo nec Prophetæ sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa veritate. quod est verbum Dei, manifestaretur ijs quod dicerent, & juberetur quod dicerent. Proinde prioribus temporibus per Prophetas sonuit verbum Dei; deinde per se ipsum cùm verbum caro factum est, & habitavit in nobis; posteà per Apostolos, quos misit ad se prædicandum, ut esset salus usque ad fines terræ. In his igitur omnibus quærenda est Ecclesia.* Qui enim

revera est Ecclesiæ caput, ille optimè novit Ecclesiam, & nobis eam sine errore ostendere potest: at dices quomodo potest nobis Christus Ecclesiam ostendere? Respondeo Christum locutum esse nobis per Prophetas, deinde per se ipsum, tandem per Apostolos. Prophetæ & Apostoli Christi voluntatem plenè & perfectè cõsignarunt litteris, quas sacram scripturam appellamus. In sacra igitur scriptura Ecclesiam quærere debemus. Et hoc est quod inquit Augustinus. *In his igitur omnibus Propheticis & Apostolicis scripturis, quærenda est Ecclesia.* Porrò quoniam Apostolorum & Prophetarum verba partim sunt aperta & propria; partim obscura & figurata: docet Augustinus in quibus verbis Christi Ecclesiam quærere debeamus. Videlicet non in obscuris & figuratis, sed in apertis & propriis, Cap. 5. *Sed quoniam multa figuratè atque obscurè posita per ænigmatis imaginem, vel ambiguitatis ancipitem sensum, fallaci aliquando interpretatione consonare & convenire creduntur, hoc etiam prædico atque propono, ut aperta & manifesta deligamus. Quæ si in sanctis scripturis non invenirentur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura. Et sic & illa seponenda sunt, & secundum nos & secundum illos interpretari possunt, & in hac ergo disputatione nostra parcamus talibus interpretationibus, & apertum aliquid, quo manifestetur Ecclesia, requiramus.* Et, *Nec tamen in talibus rerum figuris, quamvis non videam, quid hic aliud possit*

poßit intelligi, nolo quæramus Ecclesiam. Prorsus quæ alicujus vel talis interpretationis indigent, interim seponamus non quia falsa sunt, quæ hoc modo de talibus tanquam involucris solvuntur, sed quia vel interpretem quærunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur, sed aperta veritas clamet & luceat. Ex his apparet sanctam Ecclesiam tantùm ex ea scriptura, quæ clara, certa, non obscura, & ambigua, sive figurata est, quærendam esse. Hinc infert Austinus cap. 6. *Quare subordinatis dicendo, in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi ut potuerint cohæredem habere Donatum? Non invidemus alicui. Legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Euangelio, de Apostolicis litteris. Legite & credimus, sicut nos vobis legimus de Genesi & de Apostolo, quia in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicentur omnes gentes.* Planè eodem modo subordinatis dicendo neminė pertinere ad Ecclesiam, nisi adhæreat Papæ Romano, hoc est, in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi ubi potuerit cohæredem habere Papam. Legite igitur hoc nobis de sacra scriptura, & credemus vobis, quemadmodum nos legimus de Christo ipso dicente, *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, alienigenæ verò vocem nec audiunt, nec sequuntur.* Et, *Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici.* Planè eodem modo dico, date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos congregari

Ecclesia cognoscitur per scripturas.

gregari

gregari in nomine Christi, & esse oves, quæ tantùm audiunt vocem Christi, & Christum tantùm sequuntur, non autem audiunt vocem alienigenæ, nec sequuntur eum.

Cap. 16. *In Scripturis sanctis Ecclesia manifestè cognoscitur.* Et, *Habere caput Christum nemo potest, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in Scripturis sanctis debemus agnoscere, non in varijs hominum rumoribus & opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere.*

Et, *Utrum ipsi Ecclesiam teneant non nisi divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant.*

Et quia Adversarius quintum caput Augustini contr. epistolam fundamenti allegat, placuit istam quæstionem ex Augustino solvere. cap. 16. de unitate Ecclesiæ, *Nos non propterea dicimus nobis credere oportere, quòd in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus, nobis commendavit Optatus Millevitanus, vel Medialensis Ambrosius, vel alij innumerabiles nostræ Ecclesiæ Episcopi, aut quia nostrorum collegarum Concilijs ipsa prædicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionũ, vel sanitatum fiunt, et quæcunque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbãda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipse Dominus Iesus cùm resurrexisset à mortuis, & discipulorum oculis videndum manibusque tangendum, corpus*

pus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimonio legis & Prophetarum & Psalmorum confirmandos judicavit, ostendens ea in se esse impleta, quæ fuerant antè prædicta. Sic & Ecclesiam suam commendavit dicens, prædicari in nomine suo pænitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Hoc in lege & Prophetis & Psalmis esse scriptum ipse testatus est. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta, legimus in Actibus Apostolorum dictum de quibusdam credentibus, quòd quotidie scrutarentur scripturas, an hæc ita se haberent? Quas itaque scripturas nisi Canonicas Legis & Prophetarum? Huc accesserunt Euangelia, Apostolicæ Epistolæ, Actus Apostolorum, Apocalypsis Iohannis, scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifestum, quo demonstretis Ecclesiam, vel in sola Africa remansisse, &c. Planè eodem modo rogo, ut Adversarii hæc omnia scrutentur, & eruant aliquid manifestum, quo demonstrent, eam demum veram Ecclesiam esse, quæ adhæret Papæ Romano.

Epist. 166. *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam. Et, Scripturæ communes, ecce ubi novimus Christum, ubi novimus Ecclesiam.*

Adversarius respondet. Ex scriptura probari ubi sit Ecclesia, non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia scriptura docet, quæ sint notæ, dum docet qualis illa sit, ubi aperit, quomodo cre-

verit. Sed hoc est dilutum, Ecclesia enim in sacra scriptura quærenda est. Deinde Ecclesia in sacra scriptura manifestè cognoscitur, & in ea ostenditur. Ergo scriptura, ejusque legitima interpretatio est propria nota, & genuinum indicium Ecclesiæ.

Scriptura est prior Ecclesiâ.

Deinde ratio docet scripturam natura esse Ecclesia notiorem, non contrà, est enim scriptura Ecclesia prior.

Adversarius excipit, & dicit scripturam esse Ecclesia posteriorem, quod miror docto excidisse, per scripturam enim non accipimus externam membranam, sed hoc ipsum, quod literis consignatum est, id autem est Ecclesia antiquitus. Est enim idipsum, ex quo Ecclesia nata est. Intereà non nego scripturam & Ecclesiam sibi mutuo testimonium perhibere, & eam tantùm esse veram scripturam, quam Catholica Ecclesia amplectitur; & vice versa eam tantùm esse veram Ecclesiam, quæ habet veram scripturam in legitimo sensu.

Ecclesia in scriptura quærenda.

Chrysostom. homil. 49. operis imperfecti in Matthæum. *Cùm videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Ecclesiæ sanctis; tum qui in Iudæa sunt, conferant se ad montes: hoc est, qui sunt in Christianitate, cōferant se ad scripturas. Vera enim Iudæa Christianitas est, montes autem sunt scripturæ Prophetarum & Apostolorum.*

Et, *Quare autem hoc tempore omnes Christiani se conferre ad scripturas debent? Quia in hoc tempore*

ex quo

ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque aliud refugium potest esse Christianorum fidei veritatem cognoscere volentium nisi scripturæ divinæ.

Et, *Antea multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas? nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas.* Et, *Quia hæresis omnia similiter habet, volens ergo cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per scripturam?* Deinde idem Chrysostomus inquit. *Antè per signa cognoscebantur qui essent veri Christiani & qui falsi, quomodo? Falsi quidem aut non poterant facere sicut veri Christiani: aut talia non poterant qualia veri Christiani: sed faciebant vacua, admirationem quidem habentia, utilitatem autem nullam habentia, sicut frequenter exposuimus. Christiani autem faciebant plena, non solùm admirationem facientia, sed etiam omnem utilitatem habentia, & per hæc cognoscebantur, qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino levata est: magis autem & apud eos invenitur qui sunt falsi Christiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum est danda potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum aut omnium, aut multorum erat sancta, quæ apud impios*

pios non erat. Nunc autem aut tales, aut peiores facti Christiani, quales sunt hæretici, aut gentiles, adhuc autem et maior continentia apud illos invenitur, quamvis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere quid sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in novissimis esse futuram: ideo mandat ut Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem confugiant, nisi ad Scripturam.

CAPUT V.

Sacramenta in vero usu sunt propria nota, sive genuinum indicium Ecclesiæ.

Sacraměta sunt vera Ecclesiæ nota.

VErbum Dei scriptũ in vero sensu esse propriam notam Ecclesię, ostendimus in superioribus. Sequitur ut de sacramentis disseramus.

Quæstio autem est, an sacramenta in vero usu sint vera nota Ecclesiæ? Adversarius negat, nos aïmus. Ille probat suam opinionem aliquot argumentis, quæ ordine diluemus. Primum. Quia omnes hæretici sibi vendicant omnia sacramenta, Papistæ enim, Calvinistę, Lutherani, Anabaptistæ, & multi alii vendicant sibi sacramenta, & dicunt sua sacramenta esse vera sacramenta. Bellus homo, probat illud quod non est controversum. Non est autem considerandum quidnam hæretici sibi vendicent, sed quid sibi jure vendicent,

Hæretici non jure vendicant sibi sacramenta.

dicent. Nam id non est Ecclesię propriũ, Quod enim hæreticis commune est, id non est Ecclesię proprium. Sed hæretici non sibi jure vendicant sacramenta, vel quod idem est, sacramenta non sunt hæreticis communia. Christus enim ea suis discipulis, iisque solis & propriis instituit, & observare præcepit.

Secundum, quia Pelagiani habent eadem sacramenta, quæ Ecclesia.

Sed hoc est falsum. Pelagiani enim non habebant verum baptismum. Negabant enim infantes habere peccatum originale. Sed sublato peccato originali nullus est baptismi usus. Qui verò legitimum sacramentorum usum non habent, illi non habent ipsa sacramenta, sacramenta enim extra verum usum considerata nihil aliud sunt, quam otiosę & inanes ceremoniæ. *Sacramẽta in vero usu.*

Tertium, quia sacramenta in vero usu sunt minus nota, quàm ipsa Ecclesia.

Quod est minus notum quàm ipsa Ecclesia, id non est vera Ecclesiæ nota.

Sed sacramenta in vero usu sunt minus nota quàm ipsa Ecclesia,

Ergo sacramenta in vero usu non sunt vera Ecclesiæ nota.

Respondeo ut antè. Notius dicitur duobus modis. Vno, de eo quod est notius nobis, altero de eo quod est notius natura. Hoc posito, si notius intelligitur universaliter, videlicet quod nobis & natura ignotius est, id non potest Ec- *Notius duobus modis dicitur.*

clesiæ nota esse, est falsa. Etsi enim sacramenta in vero usu sunt nobis minus nota; sunt tamen natura notiora, quemadmodum ipsa scriptura. Si verò notius tantùm de eo intelligitur, quod est nobis minus notum, tum illa est falsa. Quod autem dicit scripturam pendere ab Ecclesia, non contrà; falsum est. Ecclesia enim, ut antè ostendimus, demonstratur per scripturam. Deinde contradictionem implicat. Paulò enim antè dixit, Ecclesiam esse simpliciter notiorem scriptura, scripturam tamen aliquando esse notiorem Ecclesia.

Scriptura non pēdet ab Ecclesia.

Corinthii non benè usurpabāt cœnā Domini.

Quartum, quia Ecclesia Corinthiaca non sincerè tractabat præcipuum sacramentum, reprehenditur enim à Paulo, quòd non sincerè tractaverit præcipuum sacramentum, 1. Cor. 11. 20. *Hoc non est Dominicam cœnam edere.* Sed non omnes hoc fecerunt. Eodem enim capite dicit, vers. 2. *Laudo fratres quòd omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.* Sed qui sacram cœnam ita profanant, illi non retinent traditiones Apostolicas. Non igitur omnes, sed aliqui tantùm istic ab Apostolo reprehenduntur. Quod ad alios attinet, illi retinebant baptismum in vero usu, & eos ritè tingebant, qui primùm ab iis baptizabantur, tantùm in eo errabant, quòd baptismum in quibusdam iterabant. Nam ut circumcisio iterari non potest, ita & baptismus iterari nequit.

Baptismus non potest iterar.

CAPUT

CAPUT VI.

Sacramenta esse veram Ecclesiæ notam, sive genuinum signum Ecclesiæ, probatur ex sacra scriptura.

SVperiori capite respondimus ad argumenta quibus Adversarius conatus est probare, sacramenta non esse veram notam, sive genuinum indicium Ecclesiæ. Sequitur ut ostendamus sacramenta in vero usu esse veras notas, & propria indicia Ecclesiæ. Ac primùm. Quia obsignant confœderati Dei fœdus, quod Deus cum iis pepigit, Gen. 17. 11. *Circumcisio est signum fœderis inter Deum & homines*. & vers. 14. *Vir qui non circumciderit carnem præputii sui, excindetur anima ejus ex populo suo. Nam irritum fecit fœdus meum.* Deinde discipuli Dei per sacramenta ab aliis hominibus distinguuntur, Matth. 28. 18. *Docete omnes gentes baptizantes eas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Prætereà per sacramenta jurant discipuli Christi in nomen Christi, 1. Cor. 1. 13. *Num in nomen Pauli baptizatis estis?* Denique per sacramenta coalescunt cum Christo in unum corpus, 1. Cor. 12. 13. *Per unum spiritum baptizati sumus in unum corpus.* Deinde per sacramenta participes fiunt spiritus Christi, qui per omnia membra permeans singula vivificat, redditque suis actionibus idonea, 1. Cor. 12. 13. *Vna potatione potati sumus in unum Spiritum.* Vt taceam sa-

Sacramenta sunt vera Ecclesiæ nota.

cramenta esse efficaces tesseras conjunctionis Ecclesiæ cum Christo, 1. Cor. 10. 16. *Poculum cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Adde sacramenta esse mutuas obligationes Dei & hominis, Dei testantis se personam sacramentis utentem in gratiam recipere. Hominis dantis fidem Deo, quòd ritè eum colere velit, 1. Pet. 3. 21. *Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ.*

Ex his manifestum est, sacramenta in vero usu esse veras notas, sive propria indicia Ecclesiæ.

Idem judicavit antiquitas. Augustin. contra Faustum lib. 19. cap. 11. *In nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* De vera Religione, cap. 17. *Ubi venit gratia Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur, ab ipsa Dei sapientia homine assumto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani Populi Hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis continerent.* Basilius hom. 13. ad populum de variis. *Tesseram Duces sub se militantibus dant, ut amici faciliùs invicem se noscentes exhortentur, & si cum hostibus commisceantur, eo faciliùs discerni ac separari possint. Quod si forte commilitonum separatio fiat, nemo te, quarũ nostrarũ? an Adversarij partiũ sis? noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras, nisi*

signatum

signatum sit super te lumen vultus Domini, nisi characterem in te agnoscat angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo inquam dices Dei sum, signa non ostendens? An ignoras quomodo signatas domos in Ægypto exterminator præterijt, in non signatis verò primogenitos interemit? Augustin. de catechesandis rudibus. *Sacramenta sunt divinarum rerum visibilia signacula*, obsignant igitur Ecclesiæ res divinas, sermon. 181. de tempore. *Milites seculi temporalia beneficia à temporalibus Dominis accepturi, prius sacramentis militaribus obligantur, & Dominis suis fidē se servituros profitentur; quantò ergo magis æterno regi militaturi, & æterna præmia percepturi, debent sacramentis cœlestibus obligari, et fidem per quam ei placituri sunt, publicè profiteri.*

LIBER QVINTVS

CAPUT I.

An Catholicum dici, sit vera Ecclesiæ nota?

QVænam sint veræ Ecclesiæ notæ ostendimus in superioribus, sequitur ut de Papisticis notis disseramus. Harum prima est, *Catholicum dici*. Putat enim τὸ Catholicum ostendere veram Ecclesiam, & eam esse veram Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, atque inde infert,

An Catholicum sit vera Ecclesiæ nota.

τὸ Catholicum esse veram Ecclesiæ notam. Augustinus enim cap. 4. contra epistolam fundamenti. *Tenet* (inquit) *postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino, ubi ad Catholicam conveniatur? nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum suam audeat ostendere.* Et Cyrillus catechesi 18. *Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam, sed petas ubi sit Catholica Ecclesia? id enim proprium nomen est, hujus sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrum, quasi dicat, si hoc petas nullus hæreticus suam Ecclesiam ostendet.* Et Pacianus epistola ad Sympronianū, quæ est de nomine Catholico. *Certè non est ab homine mutuatum, quod per secula tanta non cecidit, Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit auctores.* Et infrà. *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit.*

Ecclesia duobus modis Catholica dicitur.

Respondeo Ecclesiam dici duobus modis Catholicam. Vno, pro ea, quæ diversis temporibus & locis per universam terrarum orbem cōgregatur. Altero, pro ea, quæ diversis locis diversísque temporibus, ab initio orbis, usque ad ejus finem, per universum orbem congregata est, congregatur, & congregabitur, ut antè probavimus.

Eccle-

Ecclesia hoc modo Catholica dicta habet tres partes. Pars una in cælo triumphat? Altera jam num in terra contra Christi hostes militat, tertia nondum nata est, sed post hanc ætatem nascitura, & sub Duce Christo militatura est.

Partes Ecclesiæ Catholicæ.

Quæ in cælo triumphat, corporeis oculis videri nequit. Corpora enim putrefacta nondum recepit. Tertia etiam humanis oculis conspici non potest. Quod enim nondum est, id nondum incurrit in sensus externos. Secunda, sola mentis collectione congregatur. Ergo non corporis, sed mentis oculis videri potest. Cùm igitur hæc non sit visibilis, manifestũ est, eam nulla visibili nota ostendi, sive notificari posse. Ecclesia verò priori modo Catholica dicta etiam est invisibilis, omne enim καθ' ὅλου est invisibile. Deinde hæc Ecclesia per universum orbem dispersa est, nec umquam in uno loco simul congregatur, manifestum igitur eam in hoc mundo videri nõ posse. Sed quod videri nequit, id nullo visibili signo seu nota ostẽdi potest. Ecclesia igitur sive hoc, sive illo modo Catholica dicatur, nulla visibili nota ostendi sive demõstrari potest.

Universalis Ecclesia non habet visibiles notas.

At, dices eã ostendi in suis singularibus. Sed hoc est contra te, nam ut existit, ita etiam est visibilis. Si igitur existit in singularibus, etiam conspicitur in singularib. unde sequitur eam non ut universalem, sed ut singularem, visibilẽ esse, ac proinde, non universalis, sed singularis Ecclesiæ visibilẽ notam dari posse, & ut omnia in pauca contrahã.

Ecclesia catholica ostenditur in suis particularibus

si Catholicum hoc, vel illo modo accipitur, est invisibile, & ob eam causam non potest Ecclesiæ visibilis nota esse, nec potes dicere, hanc vel illam Ecclesiam, esse Catholicam. Nullum enim καθ' ὅλου est τὸ δῆτι, hoc est, Ecclesia quæ est universalis, non est singularis, proinde nullum καθ' ὅλου potest ostendi. Sola enim singularia ostendi possunt. Nam cùm particula ostendendi, vel demonstrandi ad vocem communem accedit, vox ista communis accipitur singulariter, ut homo, hic homo. Sed nulla singularia sunt universalia, nemo igitur rectè dixerit, hanc vel illam Ecclesiam esse Catholicam. At tamen, dices, Augustinus dicit, *ubi ad Catholicam Ecclesiam convenatur?* & Cyrillus *ubi sit Catholica Ecclesia?*

Catholicũ est invisibile.

καθ' ὅλου non est, τὸ δῆτι.

Respondeo, cùm antiquitus dubitaretur, quinam ad Catholicam Ecclesiam pertinerent, Cõstitutum est, ut illi, qui orthodoxam doctrinam recipiebant, Catholici dicerentur. Cap. de sancta Trinitate lib. 1. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus relligione versari, quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis. Hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamq́ doctrinam, Patris & Filii, & Spiritus sancti unam Deitatem sub pari majestate, & sub pia Trinitate credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen jubemus*

Quinam sint Catholici.

bonum amplecti, reliquos verò dementes vesanósque judicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere. Sozomen.lib.7.cap.4. *Declarabat Imperator Theodosius se velle, ut illorum duntaxat Ecclesia diceretur Catholica, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent; qui diversum sentirent, eos hæreticos appellari debere.* Si Catholicum hoc modo accipitur, tum nostras Ecclesias esse Catholicas ne ipse Adversarius negaverit. Omnes enim eam doctrinam, quam Petrus tradidit recipimus, omnes item piam Trinitatem æquali honore colimus. Hanc verò doctrinam quia hæretici oppugnabant, juxta hujus legis sententiam Catholici dici nolebant. Verùm si hoc ita est, tum hæc vox non est nota veræ Ecclesiæ, sed doctrina Orthodoxa est vera nota Ecclesiæ Catholicæ. Edicit enim Imperator Theodosius, ut illorum duntaxat Ecclesia dicatur Catholica, *qui piam Trinitatem pari honore colunt.* Hoc est, qui Orthodoxam doctrinam amplectuntur. Sed hoc est, quod nos dicimus. Deinde Catholicum cœpit de illis dici, qui sacramentis Domini utuntur. De consecrat. dist. 2. cap. seculares, & c. omnis homo. *Qui in natali Domini, Paschate, & Pentecoste non communicant, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Unde apparet eam dici Catholicam Ecclesiam, quæ sacramenta Domini participat. Sed cùm Catholicum hoc modo accipitur, tum & nostræ Ecclesiæ sunt Catholicæ, illæ enim sæpius, quàm ter singulis annis cō-

Protestantes sunt Catholici.

municant. Verùm si Catholicum hoc modo accipitur, tum Catholicum non est nota Ecclesiæ, sed sacramenta in vero usu administrata sunt nota Catholicæ Ecclesiæ. Quæritur enim quis sit Catholicus? Respondet concilium Agatense. c. singulares & Elibertanum c. omnis homo, *Eos esse Catholicos, qui ter in anno participant, & qui hoc negligunt, eos non debere Catholicos dici.* Legitima igitur sacramentorum participatio, est vera Ecclesiæ nota, & hoc est, quod nos dicimus.

Post hæc allegat Iustinum in dialogo cum Tryphone. *Et sunt distincti cognominibus, denominati à quibusdam viris, ut quisque fuit auctor alicujus novæ doctrinæ. Ex iis alii vocantur Marcionistæ, alii Valentiniani, alii Basiliani, alii Saturniniani, alii alio vocabulo, quisque à primo inventore sui dogmatis.*

Qui ab auctore novæ doctrinæ denominantur, nō sunt Catholici.

Sed nos libenter concedimus eos non pertinere ad Ecclesiam catholicam, qui novam doctrinam sequuntur: verùm si opinatur Euangelicos sequi novam doctrinam, errat, sequuntur enim antiquam illam doctrinam quam Christus Apostolis tradidit, & Apostoli litteris consignarunt, nec alium auctorem sectantur quàm Christum, & ob eam causam solum Christi verbum, tanquam normam & regulam omnis doctrinæ audiunt. Post Iustinum allegat Irenæum lib. 1. cap. 20. *Habent vocabula à Principe impiißimæ sententiæ Simone dicti Simoniani.*

Qui ab impiæ doctrinæ principe

Sed & hoc concedimus. Qui enim impiam doctrinam

doctrinam amplectuntur, illi sunt extra Ecclesiam Catholicam. Verùm ut illi sunt extra Ecclesiam, qui impiam doctrinam amplectuntur, ita qui piam doctrinam amplectuntur, sunt in Ecclesia. Quod si ita est, sequitur piam doctrinam esse Ecclesiæ notam. Si opinatur Euangelicos sequi impiam doctrinam, errat. Sequuntur enim eam doctrinam, quæ ab Apostolis, & Prophetis, in vetus & novum Testamentum relata est, & hoc ipsum se ex Dei verbo probaturos esse recipiunt. Post Irenæum producit Lactantium lib.4.cap.30. *Cùm Marcionitæ aut Arriani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine omisso, humana & externa vocabula induerunt.*

denominātur non sunt Catholici.

Et hoc libenter concedo. Nullum enim locum retinuerunt in Ecclesia Catholica, qui Christiani esse desierunt. Si subjungit Euangelicos desiisse Christianos esse, errat. Confitentur enim Christum esse redemptorem suum, in eo spem & fiduciam omnem collocant, eique totam salutem & omnem felicitatem, quam sperant, acceptam ferunt, & ab eo se Christianos dici gloriantur, & grato animo confitentur. Post Lactantium adducit Athanasium serm.2.cont. Arrium. *Numquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit. Certè à beatis Apostolis præceptorib. nostris appellationes adepti non sumus, sed à Christo, Christiani sumus, & nuncupamur. Illi verò qui aliunde fidei suæ originem deducunt, meritò auctorum suorum cognomenta præ se ferunt.*

runt. Quapropter cùm à Christo Christiani omnes essemus, & diceremur, explosus & Marcion inventor hæreseos; reliqui autem qui manserunt, Christiani titulum retinuerunt, qui verò Marcionem sequuti sunt; non jam inde Christiani, sed Marcionistæ appellati sunt, ita quoque Valentinus, Basilius, Manichæus, & cæteri sectatoribus suis nomina impertierunt.

Qui fidei originem non habet à Christo. non est Catholicus.

Sed & hoc à nobis libenter conceditur. Quicunque enim fidei suæ originem aliunde quàm à Christo sumunt, illi sunt extra Ecclesiam Catholicam. Si suspicatur Euangelicos fidei suæ originem aliunde sumere, quàm à Christo, errat. Hi enim ex solo Christi verbo sapere cupiunt, solum Christi verbum omnis fidei regulam, & normam esse volunt, asseruntque fidem ex nulla origine quàm ex Christi verbo petendam esse. Simile adducit ex Chrysostom. hom. 33. in acta, & ex Hieronym. contra Luciferianos. Vt autem prȩter has responsiones aliquid generale addam, dico novam Marcionis doctrinam, impiam Simonis sententiam, falsam fidei originem ex solo Dei verbo dijudicari. Quia enim Marcion aliud docuit, Simon aliud sensit, quàm in Dei verbo scriptum est, illius doctrina nova, & hujus sententia impia esse judicatur. Deinde quia hæretici suam fidem aliunde quàm à Christi verbo hauriunt, ex alienis fontibus eam haurire judicantur. Et si hæc ita sunt, sequitur verbum Christi esse veram & propriam fidei sinceræ, doctrinæ antiquæ,

antiquæ, & piæ sententiæ regulam, & veræ Ecclesiæ notam, sive indicium. Ex his tam pulchris & evidentibus rationibus infert. Iam ergo si nunc dicuntur alii Martinistæ, vel Lutherani, alii Zvvingliani, alii Calviniani; Nos autem ab aliquo certo nomine nemo unquam vocavit, constat nostram solam esse veram Ecclesiam.

Quoniam in his robur argumenti situm est, paulò diligentius explicanda sunt. Ac primùm negamus eos qui quovis modo ab aliquo denominantur, esse extra Ecclesiam Catholicam. Chrysostomus hom. 33. in acta, *Quod si & nos agnominationẽ cujusdam sortimur, sed non ut ab hæresium principibus, sed ut ab his, qui præsunt nobis, & gubernant Ecclesiam.* Non igitur quicunq; ab alio cognominantur, sed qui ab hæresiarcha cognominantur, non sunt vera Ecclesia. Et hoc fatetur ipse Adversarius, *Non est malum, si Catholici denominantur ab iis, qui Ecclesiam gubernant nomine Christi.* Deinde dicimus Euangelicos à Papistis per contemptum vocari Lutheranos, Zvvinglianos, & Calvinianos. Sed non quomodo Papistæ eos vocent, sed quomodo ipsi se nominent, attendendum est. Lutherus tom. 4. abominatur hanc denominationẽ. *Sunt, inquit, qui se Lutheranos esse gaudent, non, sic, ô fatue, non sic, oro ut meum nomen taceatur, & nemo* LUTHERANUS *sed Christianus appelletur, quid est Lutherus? doctrina non est mea, neque pro vobis crucifixus fui. D. Paul. 1. Cor. 3. nolebat pati, ut Christiani dice-*

An sint extra Ecclesiam Catholicã, qui quovis modo ab aliquo denominantur.

rentur à Paulo, sed à Christo, unde itaque mihi fœtido vermium sacco accederet, ut filij Christi à meo vilissimo nomine denominarentur? Absit ô amici, deleamus schismatica nomina, & denominetur Christus, cujus doctrinam habemus. Ipsi verò se vocant Christianos. Catechismo Emdensi 1. 21. *Quare vocaris Christianus?* Respond. *Quia Iesus Christus me à peccato & morte liberavit, ut æternæ vitæ hæres esse poßim.* Catechismo Heydelbergensi 32. *Quare tu Christianus appellaris?* Resp. *Quod per fidem sum membrum Iesu Christi, & unctionis ipsius particeps, ut et nomē ejus confitear, méque sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam, & in hac vita contra peccatum, & Sathanam libera & bona conscientia pugnem, & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam.* Non igitur gloriamur in Calvino, Zvvinglio, aut Luthero. Intereà tamen non negamus eos fuisse fideles Christi ministros, & Ecclesiam per Catachresin ab iis cognominationem accipere posse, quemadmodum ex Chrysostomo, & ex ipso Adversario docui. Si quis hoc argumentum rectè expendet, videbit illud in Papistas summo jure retorqueri posse. Vocant enim se Franciscanos, Dominicanos, & in iis nominibus gloriantur, in fron[t]icipio libri conformitatum.

Papistæ ab hæresiarchis hic denominãtur eosq; religiosè colũt.

Francisce Iesu typice, dux & norma Minorum,
Mala, pater egregie, pelle animorum,
Sedes nobis perpetue, da regni cœlorum.

In libro conformitatum. *Papa Gregorius nonus*

nus de sanctitate beati Francisci plures bullas fecit, in quibus aßerit beatum Franciscum stigmata D. Iesu veraciter in suo corpore impressa à Christo habuiße; Et hoc TENENDUM MANDAT FIDELIBUS, *& credendum, & sub nota hæresis puniendum oppositum sapientem*. Eodem modo de Dominico canit Synagoga Romana.

O spem miram, quam dedisti
Mortis hora te flentibus,
Dum post mortem promisisti
Te profuturum fratribus.

Cùm igitur Papistæ ab his auctoribus denominentur, eosdemque adorent, manifestum est illos impiarum & novarum doctrinarum inventores sectari, & ab iisdẽ denominari. Hanc Religionis profanationem multi ante nostra secula deplorarunt. Anshelmus Avelbergensis, *Quare tot novitates in Ecclesia Dei fiunt? Quare tot Ordines in ea surgunt? Quis memorare queat tot Ordines Clericorum? Quis non miretur genera Monachorum? Quis denique non scandalizetur? & inter tot diversas formas religionum disceptantium tædioso non afficiatur scandalo? Imò quis non contemneret Christianam religionem tot varietatibus subjectam, tot adinventionibus imminutam, tot novis legibus & consuetudinib. agitatam, tot regulis & moribus Monachorum ferè annuatim fluctuantem?*

Intereà tamẽ non nego & Papistas velle Christianos appellari. Verùm cùm illi sic dici velint, &

nos

nos id nomen nobis competere asseramus, quid est faciendum? Respondeo regulam Chrysost. esse tenendam, quam tradit hom. 33. in acta Apostolorum. *Quid ergò respondebimus gentilibus? Venit enim gentilis, & dicit, vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream, multæ inter vos sunt pugnæ; seditiones, ac tumultus, nescio quod dogma eligam, quod præferam? singuli dicunt, ego verum dico, cui credam nescio, cùm ego Scripturarum sum ignarus, & illi utrimque idem prætexunt. Sanè hoc multum pro nobis: nam si diceremus nos rationibus credere, meritò turbareris: sed cùm Scripturas accipimus, & illæ simplices sunt, ac veræ, facile tibi fuerit judicare,* SI QUIS ILLIS CONSENTIT, CHRISTIANUS EST. *Si quis contra eas pugnat, procul est ab hoc Canone.* idem hom. 7. in Matth. *Si videris hominem Christianum, considera, si confessio ejus conveniat cum SCRIPTURIS, si sic, tum VERUS est CHRISTIANUS.* Sed si hæc regula obtinebit, verum erit, quod ante asseruimus, sacram Scripturam, in vero sensu, esse veram, propriam, & legitimam notam Christianorum, id est, Christianæ Ecclesiæ. Nam ut inquit Chrysostomus, *qui consentit Scripturis, est Christianus, & qui iis non consentit, non est Christianus.* Scriptura igitur Christianos ab iis, qui non sunt Christiani distinguit. Sed hoc est quod nos dicimus, scripturam in vero sensu esse veram notam Christianæ Ecclesiæ.

CAPUT II.

An antiquitas sit vera Ecclesiæ nota?

An antiquitas sit vera Ecclesiæ nota?

SEcunda nota est antiquitas, Ridiculè. Nam ut Papistæ suam Ecclesiam prædicant antiquam esse: ita gentiles jactitabant suam religionem esse antiquam, & Christianam propter novitatem rejiciebant. Apud Ignatium ad Philadelphios dicebat Paganus ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τὸ εὐαγγέλιον, οὐ πιστεύσω. *Nisi in antiquitate invenero Euangelium, non credam.* Eodem modo Symmachus ad Theodosium, *Si longa ætas auctoritatem Religionis faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt tot nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.* August. lib. quæst. V. & N.T. q. 114. *Pagani antiquitatis causa verum se tenere contendunt, quia quod anterius est*, inquiunt, *falsum esse non potest, quasi antiquitas & vetus consuetudo præjudicet veritati.* Num quod Ethnicæ religioni convenit, veræ Ecclesiæ nota esse potest? Augustinus, ut hanc stropham refutet, dicit *antiquitatem non posse veritati præjudicare.* Ignatius dicit *Iesum Christum esse antiquitatem*, Epistol. ad Philadelph. ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖα ἐστὶν ἰησοῦς ὁ Χριστός. Deinde antiquitas non convenit Ecclesiæ recenter institutæ. Quod enim recens est, antiquum non est. Adde Ecclesiæ hostem, draconem illum magnum, qui universam terram seducit, dici *antiquum*. Apocal. 12. 9. Ex-

Antiquitas non convenit soli Ecclesiæ.

Antiquitas non convenit omni Ecclesiæ.

quo sequitur Antiquitatem neque omni Ecclesiæ, neque soli, neque semper convenire. Huc accedit antiquitatem nec oculis videri, nec ullis externis sensibus percipi posse, ac proinde ne visibilem quidem notam esse posse. Quî enim potest visibilis nota esse, quod externis oculis videri nequit? Hoc licet ita se habeat, tamen dicit, *Sine dubio vera Ecclesia est antiquior, quàm falsa, quemadmodum Deus antè fuit, quàm esset diabolus. Quocirca Matth. 13. prius seminatum fuit bonum semen, quàm Zizania, & Ecclesia dicitur Catholica, quia omni tempore fuit, & Apostolica, quia ab Apostolis fundata, & proinde antiquissima est.*

Antiquitas non est visibilis.

Sed hæc exempla sunt partim aliena, partim contra ipsum adversarium. Alienum est, quod affert de Deo, & Diabolo. Deus enim creavit Diabolum. Sed vera Ecclesia non creavit falsam. Contra ipsum est, quod de satione boni seminis & zizaniorum affert. Hinc enim antè disputavit bonos & malos esse in Ecclesia simul. Nunc docet bonum semen esse veram, zizania esse falsam Ecclesiam, quæ quomodo conciliaturus sit ipse viderit. Ridiculum est, quod dicit Catholicum inde dici, quòd omni tempore fuerit. Ecclesia n. ab Apostolis recens plantata, erat Catholica, & tamen non fuerat omni tempore. Et nos capite præcedente aliam significationem ostendimus. Deinde quod modo dicit, ipse evertit, cùm scribit Apostolicam, hoc est, ab Apostolis fundatam Ecclesiam esse illam antiquissimam.

Catholicũ non fuit omni tempore.

mam. Aut enim illud non est antiquissimum, quod Apostolorum tempore cepit: aut Apostolica Ecclesia non cepit primùm illo tempore, si est illa antiquissima. Eademque ratione falsum est illud dici Catholicum, quod fuit omni tempore. Aut enim Apostolica Ecclesia fuit omni tempore, & non cepit primùm Apostolorum seculo: aut si non fuit omni tempore, sed cepit imperante Tyberio: tum vel Apostolica Ecclesia non est Catholica, vel Catholicum non est illud, quod fuit omni tempore.

Hoc fundamento jacto, disputat Papisticam Ecclesiam esse illam, quam Christus instituit, & proinde omnibus sectis Hæreticorum antiquiorem, tali argumento.

In omni insigni mutatione semper hæc sex ostendi possunt. *Primum*, quis auctor sit novi dogmatis. *Alterum*, quodnam dogma docuerit. *Tertium*, quo tempore docuerit. *Quartum*, quo loco docuerit. *Quintum*, quis illud oppugnaverit. *Sextum*, quinam illud secutus sit. Sed hæc sex in Lutheranis ostendi possunt. Ac *primum*, Lutheranorum auctor est Martinus Lutherus. *Alterum*, nova Lutheranorum dogmata sunt, *Hominem justificari per solam fidem*. Et, *Eucharistiam non esse sacrificium*. *Tertium*, hoc docere cepit anno decimoseptimo. *Quartum*, Locus in quo docuit fuit Saxonia. *Quintum*, hanc novam doctrinam oppugnavit Leo decimus. *Sextum*, erat primum exignns cætus,

An in omni mutatione hæc sex ostendi possunt.

qui hæc nova dogmata apprehendit, qui deinde magna cepit incrementa. In Papiſtica autem Ecclesia nihil tale oſtendi poteſt. Lutherana igitur Ecclesia eſt nova. Papiſtica eſt vetus & antiqua Ecclesia.

Nos primum negamus majorem. In agro enim apud Matth. cap. 13. verſ. 25. Facta eſt inſignis mutatio. Nam ſunt in eo ſeminata zizania; neque tamen ſciverunt ſervi familiâs, quis id ſeverit, vel quando id factum ſit. Dicebant enim ad patrem familiâs, *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, unde igitur, habet Zizania?* Cauſa eſt, quod *dormierunt*, cùm hæc fierent. Eodem modo in Ecclesia Iudæorum facta eſt tanta Relligionis mutatio, ut omnes præſules & ſacerdotes, qui illam Ecclesiā gubernabant, Christum caput & ſervatorem Ecclesiæ, non ſolùm negaverint, ſed etiam ceperint, & tandem publico ac ſolenni judicio blaſphemiæ condemnaverint. Neque tamen quiſquam has ſex circumſtantias in iſta mutatione vel unquam obſervavit, vel nunc oſtendere poteſt, ut meritò ridendus ſit hic diſputator cum ſuis ſex circumſtaniis. Nos diſtinguimus mutationes in occultas, & manifeſtas, item in ſubitaneas & lentas, & dicimus in inſigni mutatione, quæ eſt ſubitanea & manifeſta, has circumſtantias obſervari poſſe, in occulta & lenta non poſſe.

Deinde utraque minor eſt falſa: ſed nos priùs de novitate dogmatis Lutheri, deinde de vetu-

ſtate dogmatum Papiſticorum agemus.

Negamus igitur Lutherum eſſe auctorem iſtorum, quæ prædicavit, dogmatum: neque hoc hactenus quiſquam ex omnibus Lutheri adverſariis, qui ſanè multi fuerunt, unquam oſtendere potuit: neq; nobis difficile eſt oſtendere, Hęc dogmata, (prout Lutherus ea docuit) tradidiſſe Chriſtum Apoſtolis, Apoſtolos mandaſſe litteris, & primitivam, ſubſequentemque Eccleſiam illa ab Apoſtolorum ſeculo, ad hanc uſque ætatem, ſemper & ſine ulla interruptione docuiſſe. *Lutherus non eſt auctor ejus doctrinæ quam docuit.*

Nam quod attinet ad juſtificationem per ſolam fidem, dicit Chriſtus Mar. 5. 36. Luc. 8. 50. *Ne metuas, ſolummodo crede.* Hunc ſecutus Apoſtolus inquit ad Gal. 2. 16. *Scientes non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem.* Apoſtolorũ ætatem proximè ſecutus Origenes docet in 3. ad Rom. *Non requiſivit Dominus, quid prius operatus eſſet, nec exſpectavit, quid operis, cum credidiſſet, expleret, ſed SOLA confeſſione juſtificatum, comitemq́ ſibi paradiſum ingreſſurus aſſumpſit.* Et, *Ieſus ex nullo legis opere, ſed per SOLAM fidem ait ad eum, remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Hilarius. Can. 8. in Matth. *SOLA fides juſtificat.* Baſilius de humilitate, *Novit ſe veræ juſtitiæ indigum eſſe, SOLA autem fide in Chriſtum juſtificatum.* Ambroſ. præfati. ad Gal. *Vt SOLA fides ſufficiat ad ſalutem.* In ad Rom. 3. *SOLA fide, dono Dei juſtificamur, nihil operantes, neque vi-*

Iuſtificatio per ſolam fidem

Origines

Hilarius

Baſilius.

Ambroſius.

cem reddentes, & in ad Rom. 4. *Ut sine labore & aliqua observatione, SOLA fide justificentur apud Deum.* Et in 1. ad Cor. 1. *Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum salvus sit sine opere; SOLA fide gratis accipiens Remissionem peccatorum.* Hieronymus in ad Rom. 4. *Tam magna dono Dei fuit fides Abrahæ, ut & pristina peccata ei condonarentur, & SOLA ei pro omni justitia duceretur accepta.* Et, *Impium per SOLAM fidem justificat, non per opera.* Chrysostomus oratione 4. contra Iudæos. *Non ex benefactis, nec laboribus, nec compensatione, sed ex SOLA gratia justificavit genus nostrum*, & in ad Gal. 3. *Hic demonstrat eum, qui SOLA fide nititur, benedictum esse.* & hom. 5. ad Colloss. *Homines lapidibus stupidiores, ad Angelorum subitò dignitatem simpliciter, nudis verbis, SOLAQVE fide, sine omni operum adminiculo evehere, revera est gloria, & hujus mysterii divitiæ.* Augustinus tract. 42. in Iohan. *Erant præcogniti, quod non fuerant credituri ea fide, qua SOLA possent ab obligatione peccatorum liberari.* Theodoretus in 3. ad Rom. *SOLA fide allata peccatorum remissionem accepimus.* Hesichius in Levitic. 7. c. 2. *Miseratus Deus humanum genus, cùm illud ad explenda opera legis infirmatum vidisset, non ex operibus salvari, sed per gratiam hominem voluit: Gratia verò ex misericordia fide apprehenditur* SOLA, *non ex operibus.* Haimo Euangelio, de circumcisione Christi. SOLA *tantummodo fide justificabuntur, sicut scriptum est, Iustus ex fide vivit.* Theophylactus. in

Hieronymus. *Chrysostomus.* *Augustinus.* *Theodoretus.* *Hesichius.* *Haimo.* *Theophylactus.*

ad

ad Galat. 3. *Demonstrat Apostolus fidem ipsam vel SOLAM habere justificandi virtutem.* Oecumenius in 4. cap. Actorum. *In ipsa SOLA fide, salus hominibus data est.* Bernardus homil. 22. in Canticum. *Quisquis pro peccatis compunctus esurit, & sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium, & SOLAM justificatus per fidem pacem habebit apud Deum.* Thomas 3. q. 70. art. 4. a. 2. *SOLA fides futuri Christi justificabat tam pueros, quam adultos.* & in 1. ad Timoth. 1. lect. 3. *Non est ergo in eis spes justificationis, sed in SOLA fide.* Lyra sive glossa ordinaria, in ad Rom. 3. *Si lex non justificat sed SOLA fides, quare ergo posita est lex?* & in epist. Iacob. *Abraham per opera, quæ fecit, justus non fuit, sed SOLA fide, oblatio verò ejus est opus & testimonium fidei & justitiæ.* Bonaventura in 4. sent. dist. 15. q. 1. *Quia homo non potuit pro tanta offensa satisfacere: ideo dedit ei Deus mediatorem, qui satisfaceret pro offensa. Unde in SOLA fide passionis remittitur omnis culpa.* Erasmus *Hæc vox SOLA tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero, reverenter legitur & auditur in patribus.* Si hæc Bellarminus leget, pudebit eum, sat scio, suæ vanitatis, & metuet fortasse, ut sui Seminaristæ, si hæc intelligent, judicaturi sunt, doctrinam quam profitemur, non esse tam novam, ut monachus jactitat.

O Ecumenius.

Bernardus

Thomas.

Lyra.

Bonaventura.

Erasmus.

Luthero.

Secundum membrum probationis est, quòd Protestantes negant Eucharistiam esse sacrificiū. Sed hoc est falsum. Protestantes enim palam te-

Eucharistia est sacrificium.

ſtantur omnem Euchariſtiam, quam Chriſtianus ſecundum Dei verbum Deo præſtat, eſſe ſacrificium. Quin diſertè docent, ſacram Cœnam, quatenus eſt Euchariſtia, ſacrificium dici poſſe. Chemnicius parte ſecunda examinis de Miſſa pontificia, *Propter publicas preces & communes gratiarum actiones, poteſt Miſſæ, juxta Scripturæ ſententiam, tribui appellatio Sacrificij.* Idem docet Calvinus, lib. 4. inſtit. c. 18. § 16. Ex his apparet candor Adverſarii; quod autem ad rem attinet, Proteſtantes non negant ſacram Cœnam eſſe ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, hoc eſt, euchariſticum: ſed negant Miſſam eſſe ſacrificium expiatorium, idq; externum & reale pro peccatis vivorum & mortuorum. Hoc enim dogma cum ipſa re, cum Papiſtico Miſſæ Canone, & cum Dei verbo pugnat. Ac primum pugnat cum ipſa re. In omni enim reali & externo ſacrificio, hoſtia eſt realis & externa. In hoc enim differt ſacrificium externum, ab interno, quòd in hoc eſt hoſtia externa, in illo hoſtia interna. Sed in Miſſa non eſt hoſtia realis & externa. Nemo enim eam externis corporis ſenſibus percipit. Quis enim umquam corpus & ſanguinem Domini in Papiſtica Miſſa, aut viſu, aut tactu, aut ullo alio ſenſu aſſecutus eſt? deinde in Miſſa nihil eſt reale & externum, quàm panis & vinum, aut illorum accidentia, ut Papiſtæ ſomniant, unde neceſſariò ſequitur, vel panem & vinum, illorúmve accidentia, pro peccatis vivorum &

Sacrificiū externum.

Miſſa pugnat cum ipſa re.

mortuorum offerri, vel nullam externam hostiã in Missa esse. Deinde si pertinaciter urgent, corpus & sanguinem Christi esse ipsam externam, & realem hostiam, quam in Missa offerunt, tum necessariò sequitur, posse aliquam externam & realem hostiam dari, quæ ullis externis sensibus comprehendi nequit.

Secundò pugnat hoc dogma cum ipsius Canonis verbis. Can. Miss. *Te clementissime pater per Iesum Christum supplices rogamus, ac petimus, ut accepta habeas, & benedicas hæc dona, & hæc munera, hæc sancta sacrificia, illibata, imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua.* Et in decretis. *Pro animabus famulorum famularúmque tuarum hostiam Domine suscipe benignius oblatam, ut hoc sacrificio singulari vinculis horrendæ mortis exuti vitam mereamur æternam.* Canone Missæ, *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui Iesu Christi.* Sed quod Deus acceptabile facere debet, id nondum est acceptabile, aut igitur corpus Christi non est acceptabile, aut non est ista oblatio, quæ in Missa offertur. Item quod corpus Domini fieri debet, hoc nondum est corpus Christi, oblatio igitur Missę non est corpus Christi. Et, *Munera quæsumus Domine oblata sanctifica.* Sed quod adhuc sanctificari debet, id nondum est sanctificatum. Aut igitur corpus & sanguis Christi non sunt

Missa pugnat cum ipso canone

sanctificata, aut non sunt ista munera, quæ in Missa offeruntur. Et, *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es, munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ.* Num corpus & sanguis Christi eodem modo accepta & grata fiunt, quo sacrificia Abeli & Abrahæ accepta & grata fuerunt? At hæc non per se, sed per aliud sacrificium accepta fuerunt. Possem plura hujusmodi cumulare, sed quis potest harum blasphemiarum sine stomacho recordari?

Missa pugnat cum Dei verbo

Tertiò, hoc dogma pugnat cum Dei verbo. Hebr. 10. *Unica oblatione consecrantur in perpetuum, qui sanctificantur.* At canon docet oblationes, hostias, munera & sacrificia pro nobis in Missa offerri. Sed quod est unicum, id non est multum. Deinde sanctificamur per immolationem Christi semel factam. Ergo Missifici frustra sacrificant. Denique ille per oblationem sui ipsius patefactus est. Heb. 9. Sed Missificus non offert seipsum, nec est Christus. Præterea in sacrificio Christi, idem est sacerdos & victima. Sed Missificus & victima in Missa non sunt idem. Deinde in oblatione Christi mors Christi intervenire debet; sed Christus semel mortuus mori amplius non potest: Denique priusquam Deus animam efflaret, clamabat *consummatum est.* Ioh. 19. Sed si peccata vivorum & mortuorum adhuc quotidie per sacraficium Missæ expiantur: tum nondum consummatum est, Heb.

10. *Ubi*

10. *Ubi est peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccatis.* Ergo vice versa, ubi amplius oblatio pro peccatis est, ibi non est peccatorum remissio. Sed apud Papistas est adhuc oblatio pro peccatis. Ex his & similibus manifestum est, propitiatorium Missæ sacrificium pugnare cum Dei verbo. Cùm igitur Missa cum ipsa re, secum ipsa, & cum Dei verbo pugnet, necessariò sequitur esse novum & recens dogma, contra, imo post sacram scripturam excogitatum. Ac proinde Synagogam Papisticam esse recentem & novam, utpote quæ habeat & sectetur nova & recentia dogmata. Ecclesiã verò Protestantium benefacere quod hoc dogma repudiat, & abominatur.

Missa sacrificium propitiatorium est dogma novum.

Quoniam verò Adversarius ex novitate doctrinæ, Ecclesiæ novitatem arguit, æquum est, ut ostendam multa nova dogmata esse in Papistica relligione, ut inde Papisticæ Ecclesiæ novitatem discat. Ac primum, Papistæ docent non solum verum Deum: sed etiam animas mortuorum, cælestes angelos, & ipsas imagines ac statuas sanctorum religiosè adorandas & colendas esse. Thom. in 3. sent. dist. 2. *Imago & ejus exemplar eodem cultus genere coli debent.* concil. Nicen. act. 2. *Non sunt duæ adorationes sed una adoratio imaginis & exẽplaris, cujus est imago.* Sed sacra scriptura dicit. Matth. 4. *Dominũ Deum tuum adorabis & ei* SOLI *servies.* Apo. 19. 10. *Et procidi ante pedes ejus ut adorarẽ eum, sed dixit mihi, vide ne feceris, conservus tuus sum.* Et, *fratrum tuorum, qui habent*

habent testimonium Iesu. Act. 10. 25. *Occurrens ei Cornelius, & accidens ad pedes ejus adoravit. Petrus verò erexit eum dicens, surge. Nam & ego homo sum.* Exod. 20. 4. *Non facies tibi sculptile, nec ullā similitudinem eorum, quæ in cælo sunt sursum, vel in terra deorsum, vel in aquis, quæ sub terra sunt; non adorabis ea, neque coles.* Ex his apparet religiosam adorationem, sive invocationem Angelorum, Hominum mortuorum, imaginum, & statuarum esse dogma post & contra Dei verbum excogitatum.

Meritoria justificatio est dogma novum.

Secundò Papistæ docent nos non prorsus gratuito, sed partim gratia, partim merito nostro justificari; scriptura vero sacra docet nos prorsus gratuito justificari, Eph. 2. 8. *Gratia estis servati, idque per fidem, non ex vobis, Dei donum est.* Rom. 3. 24. *Iustificamur autem gratis, id est, ejus gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo.* Rom. 3. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis.* Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam. At qui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* Gal. 2. 16. *Scimus hominem non justificari operibus legis, sed per fidem.* Meritoria igitur justificatio est dogma post & contra Dei verbum excogitatum.

Hæsitatio papistica est dogma novum.

Tertiò Papistæ docent, nos semper debere dubitare an simus in gratia? At sacra scriptura

docet

docet nos debere promiſsionibus Dei firmiter credere, & certò perſuaſos eſſe de eis, quæ nobis promittuntur. 1. Tim. 1. 5. *Noſtrum Euangelium conſiſtit in certa perſuaſione.* Heb. 4. 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Rō. 4. 18. *Qui contra ſpem ſub ſpe credidit fore, ut fieret pater multarum gentium.* Rom. 4. 20. *Ad hanc promiſsionem non dubitavit incredulitate, ſed roboravit ſe fide, tributa gloria Deo.* Rom. 8. 38. *Mihi perſuaſū eſt, neq; mortem, neq; vitam neq; Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neq; ullam rem aliam creatam, poſſe nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Ieſu Chriſto Domino noſtro* Pſalm. 23. 4. *Etiamſi ambulavero in umbra mortis, tamen non timebo, quia tu mecum es.* Papiſtica igitur hæc hæſitatio eſt poſt & contra Dei Verbum excogitata.

Quartò, Papiſtæ docent non ſolùm Chriſtū eſſe Mediatorem Dei & hominum; *ſed & Mariam eſſe eorundem Mediatricem.* In oratione de quinque doloribus, *Mediatrix Dei & hominum.* In feſto viſitationis Mariæ, *veni ſalvatrix ſeculi, ſordes auſer piaculi.* In oratione. O Clementiſſima. *ſis ſpes in deſperatione, ne ſuccumbam mortis in agone, cùm nulla ſpes ſit altera, niſi tu Virgo puerpera, patris parens & filia, cui me reconcilia.* Sed ſacra ſcriptura docet tantùm eſſe unicum Mediatorem Ieſum Chriſtum 1. Tim. 2. 5. *Vnus eſt Deus, unus mediator Dei, & hominum homo Ieſus*

Mariam eſſe mediatricem inter Deum & nos, eſt dogma novum.

ſus Chriſtus. Vnde apparet alios iſtos mediatores, qui præter Chriſtũ reperti ſunt, eſſe poſt & contra ſacram ſcripturam excogitatos.

Nundinatio papiſtica est dogma novũ. Quintò. Papiſtæ docent nos poſſe vel à peccatis, vel ab eorum pœnis, vel ab illorum denique ſatisfactionibus pecunia liberari, & abſolvi. Poëta *ſi dederis marcas & eis impleveris arcas, culpa ſolveris, quacumq; ligatus eris.* Sed ſacra criptura dicit nos nullis caducis rebus à peccatis eorũve pœnis aut ſatisfactionib. abſolvi poſſe. 1. Pet. 1.18. *Vt ſciatis vos non caducis rebus auro aut argẽto, sed pritioso sanguine agni immaculati redemptos eſſe.* Nundinatio igitur papiſtica eſt dogma poſt & contra ſacram ſcripturam excogitatum.

Monarchia Papæ eſt dogma novum. Sextò. papiſtæ docent omnes Creaturas de neceſsitate ſalutis ſubeſſe debere Papę Romano. Hunc primatum multa tyrannide armant, & omnibus mortalibus terribilem reddunt. Hoc enim inſtructus poteſt contra Vetus & Novum Teſtamentum diſpenſare, poteſt in cœlum intromittere quos vult, & ex eo deturbare quos vult, poteſt homines mortuos, qui cùm viverẽt, profligatæ vitæ erant, in numerum Divorum referre, poteſt libros qui non ſunt verbum Dei, facere, ut ſint verbum Dei. Poteſt regna transferre, deturbare Reges & Monarchas de ſolio, & alios ad eandem dignitatem evehere. Poteſt ſubditos à juramento obedientiæ ſolvere. Hoc inquam primatu armatus facit cum Chriſto unum Conſiſtorium, & poteſt idem in terra,

quod

quod Christus potest in cœlo, & quemadmodum Christus est omnis erroris expers, ita Papa errare non potest, & ob eam causam nemo debet ab illo ullius actus rationem petere. Et si mille animarum Catervas præcipites in Gehennam duceret; tamen nemo deberet dicere, *Domine quare facis sic?* Propter hanc inauditam potentiam patitur se hoc titulo salutari. *Dominus Deus noster Papa.* Hæc verò omnia sunt non tantùm nova, & priscæ antiquitati inaudita, sed etiam impia, fœda, & blasphema.

Septimò, Papistæ docent Presbyterum qui non habet uxorem, loco ejus Concubinam habere DEBERE. Hoc verò non tantùm novum, sed impium & execrabile dogma est. *Papa præcipit scortationem.*

Octavò, Libros Apocryphos, & à veteri Ecclesia, ut docet Canon Laodicenus, Athanasius in synopsi, Hieronymus in prologo Galeato, Hilarius præfatione in Psalmos, Nazianzenus in carminibus, & alii patres, extra Canonem positos, in Canonem recepit, eidemque Dei verbo traditiones Romanas, quæ magna ex parte non tantùm novæ; sed prophanæ, ridiculæ, & impiæ sunt, exæquavit. Hæc autem omnia Veteri Ecclesiæ nova et inaudita sunt. *Canonizatio librorũ papalis est dogma novum.*

Nono, Papistæ docent presbyteros debere esse cælibes. Cujus rei novitatem docet Canon Paulinus, qui vult Episcopum esse *unius Uxoris Virum.* Charta me deficeret si cætera de novis & prisco seculo incognitis Monachorum agminibus, *Cælibatus papalis est dogma novum,*

agminibus, de eorum supererogationibus, de novis sacramentis, de satisfactionibus, de nundinationibus, de purgatorio post hanc vitam, & alia nova ac planè impia dogmata recẽsere vellem: & nos, si Deus vitã dabit, in singulis controversiis videbimus.

Dicet nos fortasse non designare, ubi, quãdo, à quo hęc promulgata sint, ad quod respondemus, petendo, ut æquus lector, velit illa dogmata à me notata ad regulam sacrarum scripturarum appendere, quod si faciet, deprehendet ipse hæc omnia esse post & contra sacram scripturam excogitata, quo intellecto, quid attinet dicere, quando, ubi, & per quem promulgata sint? quamquam nos cùm de Papa disputaremus, satis perspicuè ostendimus, ubi, quando, & per quem papalis illa potestas ceperit, creverit, & ad hanc Tyrannidem pervenerit. Cùm item de scriptura disputaremus, ostendimus quis, ubi, & quando Canonem Ecclesiasticum auxerit; in sequentibus nos idem facturos esse pollicemur.

Etsi hæc sufficiant ad hanc stropham refutandam: tamen quia adversarius valde Iesuiticatur in hoc argumento, excutiemus singula, ne imperitus Lector rei veritate victus, hujusmodi phlyariis incertus reddatur, sic igitur dicit.

Nihil horũ de nobis ostendere possunt. Nam primò nunquã nobis objecerũt authorem nostræ sectæ, nec ab illo particulari homine nos appellaverunt.

Contra.

Contrà. Non unus particularis homo omnium istorum errorum quibus papatus crevit, & ad hanc deformitatem pervenit, auctor est. mysterium enim hoc iniquitatis cepit tempore Apostolorum peragi. 2. Thessal. 2. 7. & vix multis seculis absolutum est. Vnus igitur numero homo istius generalis apostasię, quæ ab Apostolo. 2. ad Thess. cap. 2. prædicitur, auctor esse non potest, nisi velis statuere exstitisse aliquem, qui ab Apostolorum seculo ad nostram usque ætatem vixerit. Vt autem totum illud corpus, quod Christo militat, unà cum suo capite dicitur Christus: ita etiam totum illud corpus quod Antichristo militat, unà cum suo capite dicitur Antichristus. Et, ut Christus facere dicitur, quicquid ipsius ministri in ipsius nomine faciunt: ita quicquid Antichristi ministri in ipsius nomine faciunt, Antichristus facere dicitur. Pronunciamus igitur Papam Romanum, unà cum suis satellitibus, & juratis ministris esse auctorem istorum errorum, qui Ecclesiam Christianam deformarunt. Multa fecit ipse Papa quemadmodum in singulis controversiis ostendemus, & juverunt eum multi hæretici, quorum hæreses interpolavit, & Monachi, qui suis deliriis universum orbem dementarunt: quam ob causam, eos meritò, ab universali isto capite Papistas, ab his singularibus satellitibus atque adjutoribus Papæ, Franciscanos, Dominicanos, Lajolistas appellamus, & ab aliis

Auctor errorum papalium.

R

sectarum auctoribus denominamus. Possum hæc per singulas controversias ostendere, sed ne seriem disputationis interrumpam, uno atque altero exemplo contentus ero. Ridiculum est, quod dicit nos non posse unum aliquē particularem hominē ostēdere, à quo denominati sint. Vt enim Papatus, queadū jam dixi, non ab uno particulari homine constitutus est, ita etiam Papistæ ab uno particulari homine non denominantur. Verùm quia totum corpus unà cum capite, vocatur Antichristus, & hujus corporis caput vocatur papa, ita illi meritò à suo capite vocantur Papistæ, neq; tamen huic generali & communi denominationi derogat, quod Franciscani à suę sectæ auctore Francisco, vocantur Franciscani, à Dominico Dominicani, & à Laiola Laiolistæ, etsi n. hi se devovent Francisco, Dominico, &c. tamen confitētur se salvos fieri non posse, nisi Papam Rom. caput teneant, & illi adhęreant. Quod igitur ad primum attinet, Papa & ipsius ministri sunt auctores papisticorum errorū.

Potest ostēdi, à quo Papista, dicatur Papista, & à quo idem denominetur Franciscanus.

Novum dogma est hic, quem nunc usurpat, primatus papæ. Hujus prima fundamenta jecit Victor, cùm Asiaticos excōmunicare conaretur; ut est apud Eusebium, l. 5. cap. 22. 23. & 2. 24. Fuit autem id novum, & ante istum diem inauditum; & ob eam causam, neque Asiatici neque Europæi istum bannum alicujus fecerunt, & Victorem Ecclesiarū *perturbatorem* esse pronunciarunt, ut docet Eusebius. Aliquantòpost Celestinus

Primatus Papæ est dogma novum.

stinus eandem causam promovere voluit, sed à synodo Africana, cui Augustinus interfuit, repressus, & falsi convictus est. Hac nova & inaudita dominandi libidine ita commotæ fuerunt cæteræ Ecclesiæ, ut in variis synodis sanciverint, nequisquam, ne Romanus quidem, *Episcopus Episcoporum*, aut, *primus Episcopus* diceretur, & ut nemo, *trans mare, ne Romam quidem provocaret*. Posteà cùm Mauricio imperante Cōstantinopolitanus sibi hunc honorē arrogaret, à Gregorio graviter refutatus est, atq; illis refutationibus, Gregorius Papa Rom. palam ostendit, esse *Antichristi præcursorem & ipsum Antichristum, quicunque se universalem vocat*. Cùm verò Phocas dominum suum imperatorem Romanorum nefariè intereremisset, ut sibi regnum in occidente confirmaret, sancivit Bonifacium esse universale totius Ecclesiæ caput, ea conditione, ut Bonifacius ipsius parricidiū approbaret. Hoc modo à Phoca istam potestatem parricidii approbatione emit Bonifacius, & hoc obtinuit, ut totius Ecclesiæ universalecaput diceretur, post Gregorius septimus, Paschalis secundus, Alexander Tertius, Innocentius & alii horrenda bella diversis temporibus in Germania, Anglia, Hispania, Italia, aliisque regnis, adjuvantibus eos Monachis & Clericis, aliisque hominibus perfidis, & patriæ hostibus, contra Europæos Reges concitarunt, & hunc, quem nunc usurpant, primatum obtinuerunt, ut nos fusiùs ostendi-

mus, cùm de Papa Roman. disputaremus. Videt, opinor, Bellarminus, nos in hoc dogmate, & auctores, & tempus, & locum, & oppugnatores ejusdem ostendere posse. Quod autem dicit Papam ante Phocam vocatum esse Ecclesiarum caput, nihil ad rem facit. Nam neque propterea Monarcha fuit in Ecclesia, neque eo sensu, quo nunc, Ecclesiarum caput dicebatur. Nam & aliis etiam hic titulus tributus est, qui tamen hanc in Ecclesia dominandi potestatem sibi nunquã arrogarũt. Equidem synodus Ephesina vocat Cyrillum *caput Episcoporum* congregatorum; quod testatur epistola synodica apud Cyrillũ, tom. 4. epist. 5. Gregorius vocat Paulum *Caput nationum*, in 1. Reg. l. 4. cap. 4. Prudentius vocat Bethlehem *caput Orbis*. in Enchirid. Chrysostom. hom. 3. ad Populũ Antiochen. vocat Antiochiam *Caput Orbis*. Num & Antiochenus & Bethlehemicus & Paulus, & Cyrillus sibi hunc papalem primatum arrogabant? Non opinor, alius enim eruditione, alius auctoritate, alius dignitate, alius alia de causa caput dicitur. Sed Bonifacius, stipulatus est à Phoca, ut universale caput diceretur, quod nõ est aliud, quàm ut alii externa quadam circunstantiâ, hic essentia caput Ecclesię esset, hoc modo sibi paulatim sumpsit, quod est Christi proprium.

Caput.

Ipse Adversarius & Missæ mentionem fecit, quam ob causam, ut auctores primatus Romani, ita etiam auctores Missaticæ, quæ nunc usurpatur

tur

tur, pompæ ostendi possunt. Polydorus igitur libr. 5. cap. 11. & Platina in Sixto. In celebratione mandavit, *ut sanctus, sanctus, Dominus Deus Zebaoth cantaretur.* Nuda primò hæc *erant & omnia simpliciter tractabantur, Petrus enim ubi cõsecraverat, oratione pater noster usus est. Auxit hæc mysteria Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, auxit & Basilius, auxere & alii. Nam Celestinus Missæ introitum dedit, Gregorius Kyrieleison. Gloria in excelsis Deo Telesphorus. Collationes Gelasius primus. Epistolam & Euangelium Hieronymus. Alleluia sumptum est ex Ecclesia Hierosolymitana. Symbolũ ex concilio Niceno. Mortuorum cõmemorationem Pelagius invenit. Thus Leo tertius. Osculum pacis Innocẽtius primus. Ut caneretur, Agnus Dei, Sergius instituit. Innocentius tertius sancivit transubstantiationem*, cap. firmiter credimus. De sũma Trinit. & fide Cathol. videre est. Synodus Cõstantiensis interdixit Laicis calice. Polydorus lib. 5. cap. 10. *Zepherinus statuit, ut omnes Christiani qui pubertatis annos attigissent, minimum semel caperent quotannis, paschali die. Fabianus sanxit ut id ter fieret. Innocentius III. & Honorius IIII. confirmarunt ut Eucharistia in templo continenter asservaretur, ad ægrotantium commoditatem. ut sine eo viatico hinc non abeant*, ut est de consecratione dictione, 1. Aliorum rituum & ceremoniarũ, quæ usurpantur, auctores eodem modo ostendi possunt, & sæpe à nostris ostensi sunt, ut æquus Lector,

Missæ origo.

hujus missatici sacrifiicii novitatem videre, & ab iis quæ Christus instituit, discernere posit. Tantùm restat ex his sex circunstantiis, quod dicit non posse ostendi initio parvum aliquem cætum adhæsisse Papæ Romano, cui inde plures accesserint, Primùm enim Papa variis artibus sibi Romam addictam fecit, deinde eam veri Domini imperio subduxit, & suo dommatui subjecit. Huic initio se aliæ Ecclesiæ in Asia, Africa, in ipsa Europa, imò in ipsa Italia, opposuerunt; sed sensim nunc hanc nunc illam debellavit, & tandem omnes vel ad Turcam adegit, vel suæ tyrannidi subjecit, ut ex historiis demonstrari potest. Atque ita fieri debuit, ut homo perditionis in Ecclesia sederet, tanquam Deus, & se supra omne id, quod dicitur Deus, elevaret.

Novus cultus.

Cùm his novis dogmatis etiam novũ cultum instituit, & eos pro diis colit, quos non agnoverunt Patres ejus. Docet hoc Pantheon, Templum omnium Deorum, Romæ à Papa solenniter in honorem omnium Divorum consecratum. Neque hunc nodum solvit, cùm dicit Danielem cap. 11. 36. dicere Antichristũ contra omnes Deos pugnaturum esse. Non enim de Antichristo, sed de Antiocho loquitur Daniel. Quod autem dicit Paulum 2. ad Thessalonicenses cap. 2. dicere, eum se *elevaturum esse supra omne id, quod dicitur Deus.* probatur hoc facto in Papam rectè quadrare. Qui enim eos, qui non sunt Dii, Deos facit, eisq; templa & divinos honores consecrat,

Papa se extollit supra id quod dicitur Deus.

secrat, ille se reipsa elevat supra Deos, conferat Bellarminus cum hoc Papæ facto, & Pauli vaticinio, quæ viri docti scribunt, ut Aventinus lib. 7. *In cujus* (loquitur de Papa Romano) *fronte scriptum est,* DEUS SUM. cõmunis canonistarum vox. DOMINUS DEUS NOSTER PAPA. Bernardus de consecratione lib. 3. *unctione Christus es.* Baldus, *Papa est* DEUS *in terris.* De electione c. fundamenta, in sexto. *Assumptus est* (loquitur de papa) *in consortium individuæ Trinitatis.* Aventinus lib. 7. *Pontifices Romani, affectant dominationem, & divinitatem, ut magis quàm ipse Deus, timeatur,* lib. 1. ceremoniarum c. 8. *Papa in nocte nativitatis Domini, benedicit ensem, quem posteà donat alicui Principi, in signum summæ potentiæ Pontifici collatæ, juxta illud, data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra* Blondus lib. 3. instauratæ Romæ. *Omnes Principes Orbis terrarum Pontificem ut suum Deum honorant & colunt.* Conferat inquam Adversarius Papæ facta, & bonorum hominum judicia, cũ Apostoli loco, & judicet an non Papa sit iste, quem Paulus ibi designat.

Quod dicit, Magdeburgenses in suis centuriis vocare ea nævos, quæ Papa usurpat, & quæ ipsi in Papatu hæreseos accusant. Candorẽ meritò requirimus. Nam neque de omnibus iis dicunt, quæ Papa usurpat, neque omnia illa quæ Romana Ecclesia post & contra sacram scripturam defendit, sunt ejusdem generis, quædam e-

nimi sunt leviora, quædam deteriora, illa non malè nevi dici possunt, hæc verò hæreseos nomine, præsertim cùm contumacia accedit, meritò insigniuntur.

Tertullianus pro antiquitate.

His non obstantibus admodum urget argumentum ab antiquitate, & adducit ex Tertulliano de præscriptione. *Qui estis vos? unde & quando venistis? ubi tam diu latuistis?* Optato lib. 2. cōtr. Parmenian. *Vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Hilario lib. 6. de Trinitat. *Tardè mihi hos piissimos doctores ætas nunc hujus seculi protulit, sero hos habuit fides mea, quam tu erudiisti, magistros, inauditis ego his omnibus in te credidi.* Hieronymo ad Pammachium & Oceanum, *Quisquis assertor es novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescivimus? usque in hunc diem sine vestra illa doctrina Christianus mundus fuit.*

Hieronimus.

Antiquitas personarum.

Sed hæc vel de personis, quæ docent, vel de dogmatis, quæ ab illis docentur, intelligi debent. Non de personis. Omnis enim minister, qui modò institutus est, & jam jam docere incipit, est novus doctor, qui si docere prohiberetur, à tempore Apostolorum sublatum esset omne legitimum ministerium, & omnes doctores tanquam novi, saltem eo seculo, quo ceperunt, rejici potuissent. Sed hoc est absurdum. Ergo de dogmatis intelligi debent. Atque hoc ex Hierony-

Antiquitas dogmatum.

Hieronymo constat. dicit enim, *Quisquis assertor es novorum dogmatum.* Et, *usque ad hunc diem, sine vestra illa doctrina Christianus mundus fuit.* Vnde sequitur non antiquitatem personarum, sed antiquitatem doctrinæ esse Ecclesiæ notam. Hoc nos libenter admittimus, & congruit cum ea sententia Tertulianus in Apologetico cap. ult. *Antiquior omnibus veritas.* Et, de velandis Virginibus, *Veritas sempiterna & antiqua res est.* Et, *Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcunque contra veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.*

Vnde novitas dogmatum dijudicanda sit.

Quoniam igitur de dogmatis nostris & Papisticis quæstio est. Videndum est, illorúmne an nostra nova sint? Nos dicimus illorum dogmata esse nova; illi contrà dicunt nostra esse nova, ut hæc controversia dirimatur, appendenda erunt illorum & nostra dogmata ad stateram sacræ scripturæ, & quæ cum illa congruunt, vetusta, quæ discrepant, nova censenda erunt. Docet hæc Cyprianus Epistola. 63. *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius antè nos faciendum putaverit, sed quid, qui anté omnes est, Christus prior fecerit, neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Caussam hujus rei reddit idem Cyprianus Epist. 74. ad Pompeium. *Consuetudo, inquiens, sine veritate vetustas erroris est.* Redeamus igitur, O Bellarmine, in hac controversia ad Christum, & diligenter dispiciamus, nostráne an vestra dogma-

Cyprianus.

ta Christi esse reperiantur. Hoc autem neque rectius, neque certiùs facere poterimus, quàm si scripturam diligenter scrutati fuerimus, & viderimus, nostráne, an vestra sint sacris litteris congruentia, quod si fieri debet, ut sanè debet, sequitur sacram scripturam (cujus unica & sola doctrina & vera & antiquissima est) distinguere falsam doctrinam à vera & esse Ecclesiæ propriam & essentialem notam. Cùm hac scriptura, si æquus lector comparabit ista, quæ suprà notavi, papistica dogmata, de illorum novitate non magnopere dubitabit, idem videbit nostra dogmata esse antiqua, imò illa ipsa, quæ Christus Apostolis tradidit, Apostoli litteris consignarunt. Calvinus dicit nostram Ecclesiam non esse novam, sed eandem, quam Christus instituit, quod planè est idem. Nam si doctrina quam nostra Ecclesia profitetur, est illa, quam Christus tradidit, tum nostra Ecclesia est illa, quam Christus instituit. Contra hæc admodum tumultuatur adversarius, & dicit, ista Ecclesia, quę nunc apparuit (ita vocat nostram) antè perierat, & nunc resurrexit, aut non perierat, sed tantùm latuerat, & nunc extulit caput. Non primum, quia tunc non potuissent renasci ipsi, nisi mater perierat. Si periit. *Unde ergo*, inquit Augustinus. *Donatus apparuit? de qua terra germinavit? ex quo mari emersit? de quo Cœlo cecidit? Et prætereà falsæ erunt promißiones Christi, Matth. 16. Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et Matth. ultimo.*

Scriptura distinguit falsa doctrinam à vera.

Augustinus.

mo. Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Hęc non sunt cōtra nos. Ecclesia enim Christi perire non potest, Subjūgit igitur, *Non secundum. Quia ista Ecclesia latens profitebatur fidē suā, vel non profitebatur. Si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta, & si manifesta quomodo nemo animadvertebat? quomodo non capiebātur, & coercebantur ab inquisitoribus? quomodo nullum vestigium, nulla memoria eorum exstat? Si autem non profitebatur fidem, sed vere & propriè latebat. Ergo illa non fuit Ecclesia. Ac proinde nulla fuit in mūdo vera Ecclesia. Nam ut ipsi dicūt, confessio fidei est nota veræ Ecclesiæ. &* Rom. 10. *ore fit confessio ad salutē.*

Equidem Ecclesia nostra semper confessa est fidem suam, sed quandoque occultè in cætu suo, quandoque palam coram mundo. Neque hoc est absurdum. Cùm enim discipuli laterent clausis januis ob metum Iudæorum confitebantur fidem suam, sed occultè in cætu suo, Iidem paulo post coram toto populo fidem suam profitebantur. Eodem modo quinquaginta prophetæ, quos Obadiahu in spelunca abscondebat, profitebantur in ista spelunca, in qua latebant, fidem suam; sed non apud Achabum, neque apud Iezebelem. Planè eodem modo, Ecclesia nostra semper confessa est fidem suam, sed quandoque occultè in suis cœtibus, aliquādo etiam palam coram mundo. occultas cōfessiones arguunt quorundā scripta quæ adhuc exstant, palam fidem suam confessi sunt. VVichlephus

Ecclesia Protestantium semper professa est fidē suam.

Eadem palam professa est fidem.

chlephus, Iohannes Hus, Hieronymus de Praga VValdenses, Albigenses, & alii, Atque hi confessores, quandoque impias persequentium manus effugerunt, ut VVesselus Groningensis, & alii, quandoque ab iis apprehensi, vincti, & miserè excarnificati fidem suam suo sanguine obsignarunt, ut Iohannes Hus, Hieronymus de Praga, VVilhelmus Sophocardius, & alii. Qui plura de hac re scire desiderat, legat librũ Flacii de testib. veritatis, & ex historiis discat, q̃ multi etiam sævi- ente papę Tyrannide fuerũt, qui propter confessionem Iesu Christi, persecutiones, vincula, carcerem, tormenta, mortem denique ipsam cum magna animi alacritate subierunt. Quod addit *quare apparente Luthero, & Calvino nemo se illis adjunxit?* stuporem arguit. Annon ex variis locis, innumeri homines Christi nomen palã confessi sunt, simultatque Lutherus nundinationes papisticas arguere cepit? si se nemo illi adjunxit, quare tam multi, etiam illi, qui de Luthero ne fando quidem umquam audierunt, unà cum eo idẽ opus aggressi sunt? Quin si historiis credimus, præcessit Lutherum Zuinglius, atq; ut ille in Saxonia, sic hic in Helvetia eundẽ Christum prædicabat, & pari zelo cauponationes Romanæ curiæ oppugnabat. Equidẽ Luthero primũ inchoante liberius loqui, tam multi apparuerũt, qui eandem fidem confessi sunt, ut Cardinalis Caietanus palam confiteretur, se non posse Lutherum Romam ducere, etiamsi tricies mille militibus

Lutheri voce multi commoti Euangeliũ palam professi sunt.

litibus stipatus esset. Nonne tam multa & innumera martyria per Germaniam, Galliam, Angliam, Schotiam, Belgicam, Italiam, Hispaniam, & alia Europæ regna concitata Iesuitis persuadere possunt, ad Lutheri concionem apparuisse multos, qui eandẽ fidem cum Luthero confessi sunt, atque eam aliunde quàm à Luthero didicisse. Magis ridiculum est, dum miseriam, quam Ecclesia, sæviente Antichristo, perpessa est, exaggerat. Tantum enim abest, ut nos propterea hanc Ecclesiam minoris æstimemus, ut palam fateamur, ejus miseriam centuplo graviorem fuisse eo tempore, atque adversarius scriptum reliquit. Verùm ex intolerabili illa persecutione, & admirabili, quæ eam secuta est, liberatione, spem concipimus fore, ut tandem omnibus lachrymis abstersis, à Christo in cælestem Patriam recipiatur, ut ibi cum Christo capite suo, & cum omnibus beatis angelis sempiterno gaudio fruatur. Vt autem hæc gloria Ecclesiam manet, ita etiam ab istis afflictionibus prorsus immunis esse non potuit, æquum enim est, imò necessarium, ut cui conformes in futura vita esse cupimus, ei etiam in hac vita conformes fiamus, atq; ita per multas persecutiones ad Regnum Cæleste perveniamus. Si quis perpendet seculum Neronis, Domitiani, Diocletiani, & aliorum, videbit Ecclesiam etiam illis temporibus miserrimo loco fuisse. Num propter adversam istam fortunam vera Ecclesia esse desiit? Fulco scribit in

Ecclesiam non pudet persecutionum.

His-

Hispania quædam marmora exstare, quæ testentur, Ecclesiam istis temporibus ita concisam fuisse, ut Tyrannus jactitaverit, & gloriatus sit, se Christianorum nomen de terra funditus sustulisse. Tantum igitur abest, ut istis absurditatibus, quas adversarius ex istis persecutionibus, & afflictionibus Ecclesiæ congerit, moveamur, ut etiam in istis perpessionibus gloriemur, sperantes fore, ut Christus qui est caput nostrum, nos etiam conformes faciat glorioso suo corpori. Qui vel paululum versatus est in sacris litteris, scit Ecclesiam in hac vita quandoque pace & tranquillitate frui, quandoque etiam variis afflictionibus ita premi, ut quandoque persecutores fugere, & se abscondere cogatur. Vtramque hanc fortunam Ecclesia in hac vita experitur. Tempore enim Christi sedebant discipuli januis clausis, idque propter metum Iudæorum, de temporibus proximè sequentibus inquit Mantuanus.

Ecclesia cogitur se quandoque occultare.

Nam cum Cæsarei gens sanguino lenta Tyranni
Prædarentur oves Christi, nullasque liceret
Christigenis habitare urbes, impune ferarum
Consortes facti, fines tenuere supremos
Orbis, & ardentes Cancri ferventis arenas.

Temporibus antichristi prædicit Iohannes mulierem fugituram esse in desertum, ut ibi lateat, & tuta sit à persecutionibus draconis. Aliis temporibus effert caput suum, & se toti mundo conspiciendam præbet. Iam verò cùm Eccle-

sia

sia se occultare cogeretur, ut ab antiquis Cæsaribus non extirparetur, & à dracone non devoraretur, tum equidem apud suos hostes, & persecutores non est fidem suam professa, sed satis fuit, ut eam occultè & in suo cætu confiteretur. Vt æquus lector judicare possit, istam Rhetoricationem adversarii, de confessione, & occultatione non multum momenti habere. Quod de Inquisitoribus posuit, potuisset rectius omittere. Legat enim nobis ex sacra scriptura tales inquisitores à Christo institutos esse, aut agnoscat hanc tyrannidem à Christi mansuetudine longè discrepare. Iudæi & Saraceni rident & subsannant vos, dicūtque inquisitionem esse inventam contra eos, qui Christum adorare nolebant, & nunc sęvissimè exerceri contra eos, qui eum solùm in Spiritu & veritate adorare cupiunt. Si vultis oculos aperire, videte & expendite, quidnam istis inquisitoribus profeceritis, si vindictā, quam sanguis ab iis effusus à Deo poscit, non sentitis, caretis sensibus: si verò sentitis eam, & tamen de iis contra nos disputare non erubescitis, manifestum est cuilibet vos pudorem una cum fronte perdidisse.

Ecclesia non semper palam confessa est fidem suam.

Inquisitores papistici.

Inquisitio Hispanica.

CAPUT III.

Tertia nota, diuturna duratio.

An diuturna duratio sit Ecclesia nota.

TErtia nota est duratio diuturna, nec unquā interrupta. Ecclesia enim dicitur Catholica

tholica, non solùm quia semper fuit, sed etiam quia semper erit.

Duratio non est visibilis.

1. Respondeo, duratio externis sensib. percipi non potest, & ob eam causam visibilis nota Ecclesiæ esse nequit. Quî enim potest visibilis nota esse, quod videri non potest?

2. Deinde Ecclesia est quidem semper duratura, sed non sola, pater enim familias ad servos quærentes, an vellet, ut irent, & colligerent zizania. *Non*, inqt. *ne quando dum colligitis zizania, eradicetis simul cum eis triticũ. Sinite simul crescere utraq; usq; ad messem.* Ex quo apparet, non solùm triticũ, sed etiam zizania usque ad messem duratura esse, nec est, opinor, qui dubitet Ecclesiam malignantiũ usq; ad Christi adventum duraturam esse. Non fuit itaq; necesse, ut probaret Ecclesiã Dei semp duraturã esse, sed cõmodiùs, & magis ad rem fecisset, si probasset, omnem & solam Ecclesiam ad mũdi finem duraturam esse.

Non convenit soli.

An papistica Ecclesia semper duraverit.

Iam verò (*inquit*) constat Ecclesiam nostram durasse ab initio mundi hucusque, vel si de statu novi Testamenti loquamur, durasse à Christo hucusque per 1572. annos, frustrà eam oppugnantibus primò Iudæis, deinde paganis, ultimò hæreticis; nec solùm durasse, sed etiam ex persecutionibus crevisse.

Ridiculè, papismus sive Papistica Ecclesia duraverit ab initio mundi? vel duraverit à tempore Christi versantis in terra? Quàm est ille immemor eorum, quæ paulò ante tradidit? Definivit

Eccle-

Ecclesiam libro secundo de Ecclesia. Capite secundo, esse *cœtum hominum, ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Christi in terra vicarii Romani pontificis.* Eundem ferè in modum definit Canisius in Catechesi, disertè enim dicit in ista definitione, Ecclesiam sub uno capite suo Christo, *unóque ejus in terris vices gerente pontifice Romano regi, & in unitate conservari.* Cum his consentit Catechismus ex decreto concilii Tridentini editus, qui, *unus,* inquit, *est ejus rector & gubernator. Invisibilis Christus, visibilis qui Romanam Cathedram Petri Apostolorum principis legitimus successor, tenet.* Papa Romanus longius progressus est, & definivit in decretalibus, *omnem creaturam de necessitate salutis, sibi subesse*, ut certum sit, hanc esse mentem omnium Papistarum, & ea quæ à Bellarmino & Canisio in Ecclesiæ definitioue posita sunt, esse illorum judicio, Ecclesiæ essentialia. At verò Ecclesia Veteris Testamenti non subfuit Papæ Romano, neque Ecclesia tempore Chrsti Papæ Romano subjecta fuit, neque tempore Apostolorum Papæ Romano omnes Ecclesiæ subjectæ fuerunt, Temporibus sequentibus hoc ipsum inauditum fuit. Asiatici enim Episcopi, ut aliquando ex historia Ecclesiastica docui, Papæ Romani imperium nunquam agnoverunt, neque Africanæ, neque aliorum regnorum Eccle-

An sit de Ecclesiæ essentiâ subesse Papæ.

Ecclesia non omnis neque semper subfuit Papæ.

siæ Papæ subfuerunt, quemadmodum ostendimus cùm de Papa Romano disputaremus; ut ridiculus sit adversarius, dum Papismum suum ab initio mundi durasse nugatur. Deinde hoc ipsum nihil facit ad rem, proposuit enim Ecclesiam semper fuisse & semper fore; subjungit Ecclesiam Romanam semper fuisse; de eo autem quod futurum est, & alterum propositionis mēbrum est, ne γρῦ quidem quod est in proverbio, si igitur hinc inferet Ecclesiam Romanam semper duraturam esse, videbunt ipsi pueri eum jesuiticari. Quod de persecutionibus dicit, agnoscimus, sed nihil ad Papismum. Hic enim crevit persecutionibus activis; vera autem Ecclesia crevit persecutionibus passivis. Si quis Historias excutere vult, & ex iis observare quæ bella Papa per Europam, & cæteras Orbis partes concitaverit, & quibus cædibus hunc sibi primatum pepererit & stabilierit, videbit eum, ut dixi, non passivis, sed activis persecutionibus ad hoc fastigium ascendisse. Ille ipse hujus strophæ infirmitatem videns, dicit, *Quamvis hæretici hujus temporis non concedunt Papismum 1572 annos durasse, concedunt tamen eum sine omni interruptione durasse à Gregorio primo huc usque, id est, annos fere mille.* Æquè enim hoc est ridiculum, ut illud prius. Gregorius enim non fuit universalis, quin dixit hunc universalis Episcopi titulum esse *nomen novum.* lib. 4. ep. 32. *scelestum.* lib. 4. ep. 39. *nomen erroris*, lib. 4. ep. 38. & *nomen blasphemia*

Papismus crevit persecutionib. activis, nō passivis.

An papismus tempore Gregorii fuerit receptus:

phemiæ. lib. 4. ep. 39. addidit eum, *qui se universalem sacerdotem vocat vel, vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrere*. lib. ep. 34. *& in illo scelesto vocabulo consentire, nihil esse aliud, quàm fidem perdere*. lib. 4. ep. 39. ubi subjungit, *Esse illud vanum & noxium, esse confusionem, venenum, & certissimam atque universalem pestem Ecclesiæ, Corruptionem & dissolutionem fidei. esse contra Canones, contra Petrum Apostolum, contra sensum, sententiámque Euangelii, contra omnes Ecclesias Dei, contra Deum ipsum, nullum unquam bonum piúmve virum hujusmodi titulis usum esse, qui illis utitur, eum esse Luciferi imitatorem, & Antichristi præcursorem atque prænuncium.* Papa verò modernus non tantùm consentit in illo nomine, & ita vocari desiderat, sed etiam se ita vocat, & vocari sancit, eósque, qui illi hunc titulum non cõpetere disputant, ferro & igni persequitur. Gregorii igitur judicio Papa modernus est blasphemus, corruptor fidei, imitator Luciferi, & præcursor Antichristi, tãtum abest, ut eum suum successorem esse statuat, addit hunc titulum esse novum, contra Canones, contra *Apostolum Petrum*, contra *sententiam Euangelii*, contra *omnes Ecclesias*, contra *Deum ipsum, neque ullum bonum piúmve virum eo titulo usum esse*. Et non erubescit Bellarminus negare quicquam novi esse in Romana moderna religione, & hunc universalem Papam esse Gregorii successorem. Deinde cùm Bonifacius Cauponante Phoca hoc titulo pri-

Vniversalis Episcopus.

Papa vult audiri universalis.

Bonifacius

mum vocaretur. Quid quæso voluisset respondere, si quis ex Augustino dixisset, *unde ergo universalis apparuit? de qua terra germinavit? ex quo mari emersit? de quo Cælo cecidit?* sive enim hoc de dogmate intellexisset, habuisset sententiam Gregorii pronunciantis illud esse, contra *sententiam Evanglii* contra *Canones*, contra omnes Ecclesias, contra *Deum* denique *ipsum*, si verò de homine intelligere maluisset, potuisset ex eodem Gregorio discere, ipsum titulum esse *novum*, neque *ullum bonum piúmve virum eo unquã usum esse*. Deinde nostram Ecclesiam (inquit) esse veram Ecclesiam etiam probari potest hoc argumento, *nam ante Lutheri ætatem non erant in mundo, nisi hæ religiones, Paganismus, Iudaismus, Mahumetismus, Græcismus, Nestorianismus, Hußitarum hæresis, & Romana Ecclesia.* sed *certum est non fuisse veram Ecclesiam Christi apud ullam ex prædictis sectis, ut etiam Lutherani fatentur, ergo fuit apud Romanam Ecclesiam, aut periit de mundo omnis vera, & visibilis Ecclesia.*

Ecclesia vera fuit sẽper etiã ante Lutheri ætatem.

Hæc enumeratio est insufficiens. Nam & vera Ecclesia tum erat, & habebat sedes suas ferè in omnibus regnis Europæ. In Gallia Narbonensi, videlicet, Merindoli, Agriæ, Albiæ, Costę. Hi per contemtũ à Papistis vocabantur Valdenses, Albigenses, Albigrisei, pauperes de Lugduno, & insabbatati. Iacobus de Rebiria, ut est apud Flacium, in Catalogo testium. *Valdenses,*

ses, sive Lugdunenses, diu primum locum tenuisse in Gallia Narbonensi, Albiensi, Ruthena, Cadurcensi, Agennensiq; diœcesibus celebris est fama, eoque tempore nullo aut parvo in precio fuisse eos, qui se sacerdotes, Episcopos, & ministros Ecclesiæ dici volebant. Indigni enim omnes rerum omnium ignari pene cùm essent, facile illis fuit eruditione & doctrina præcellentibus, primas in populo partes sibi vendicare. Ex quibus cùm præ cæteris, Valdenses acutius de religione disputarent, admittebantur sæpè à sacerdotibus publicè docendi causa, non quòd eorum sententiæ sibi probarentur, sed quòd Valdenses ingenio pares non essent. Tanto verò in honore erat hujusmodi hominum secta, ut & ab omnibus oneribus haberent immunitatem, et multò plura ex morientum testamentis consequerentur sacerdotes. Hostis si fuißet hæretico viæ itinerisq; comes, ab hoste non lædebatur, salus omnium hominum in hæreticorum tutela esse videbatur. Idem Flacius ex veteri codice hæc descripsit. *Sectæ hæreticorum ab olim fuerunt multæ, inter quas omnes sectas, quæ sunt vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ Dei, quàm pauperum de Lugduno, tribus de causis, Prima, Quia diuturnior, quidam dicunt, quòd duraverit à tempore Sylvestri. Alii dicunt, quòd à tempore Apostolorum. Secunda est, quia generalior, fere enim nulla terra est, in qua hæc secta non serpat. Tertia, quòd omnes aliæ cum immanitate in Deum, horrorem inducant. Hæc Leonistarum magnam habens speciem pietatis, eo quòd co-*

Ecclesia pauperum de Lugduno duravit ab Apostolorum seculo, ad nostrã ætatem.

ram hominibus justè vivant, & bene omnia de Deo credant; & omnes articulos, qui in symbolo continentur, solam Romanam Ecclesiam blasphemant & *oderunt.* Si quid testimonia valent, fuerunt homines innocentes, & rectè de Deo senserunt. Ex libris inquisitoriis, quorum fragmenta recenset Flacius, constat eam doctrinam per Lombardiam, Alsatiam, totum tractum Rhenanum, Belgicam, Saxoniam, Pomeraniam, Prussiam, Poloniam, Livoniam, Sueviam, Zilesiam, Bohemiam, Moraviam, Calabriam, & Siciliam longè latéque fuisse propagatam. Mutius scribit circa annum 1212. Papam & Episcopos ita sæviisse in VValdenses, ut aliquando centum uno die fuerint occisi. Bruschius dicit, triginta quinque cives Moguntinos ob hujus doctrinæ confessionem circa annum 1350. Bingæ exustos esse. Nauclerus narrat, eos qui in Alsatia agebant, misisse Mediolanensibus, tanquam præceptoribus suis collectas, inde apparet eos in Pedemontana regione scholas habuisse; in Bohemia hi ipsi vocantur Thaboritæ; Flacius dicit, se illorum confessionem anno 1431 scriptam vidisse, & testatur eam cum Protestantium confessione penitus convenire. Auctor Fasciculi Temporũ scribit ab illis multos libros editos esse, quibus doctrinam suam illustrarunt, qui vel adhuc magna ex parte latent, vel à Papistis oppressi sunt. Qui Merindoli, Agriæ, Costæ, & in vicinis urbibus habitabant, ediderunt

Valdenses.

Bruschius.

derunt confessionem suam, eamque Francisco Regi exhibuerunt; ea verò est hujusmodi.

1. Solis sacris litteris credendū esse in iis, quæ ad salutē pertinēt, & nulli pterea homini aut scripto. Confessio vvaldēsini

2. Sacras litteras integrè continere omnia ea, quæ ad salutem necessaria, eoq; nihil penitus rejiciendum, aut admittendū in religione esse, nisi id solum, quod Deus nobis in literis sacris præcepit.

3. Unum esse tantùm Mediatorem, nec esse invocandos sanctos ulla ratione.

4. Purgatorium nullum esse, sed omnes homines vel per Christum justificatos in vitam æternam, vel non credentes in æternum exitium abire, tertium, aut quartum locum superesse nullum.

5. Tantùm duo sacramenta Baptismū ac Communionem, recipiunt ac probant.

6. Omnes missas, & præcipuè eas, quæ pro mortuis canuntur, impias, eòque abolendas penitùs esse.

7. Omnes traditiones humanas rejiciendas, vel certè pro necessariis ad salutem nequaquam habendas esse: eòque tollendum esse cantum & recitationem officii, jejunia ad dies certos alligata, superflua festa, discrimen ciborum, tam varios gradus ac ordines sacerdotum, monachorum, ac monacharum, varias benedictiones, seu consecrationes creaturarum, vota, peregrinationes, & aliam omnem turbam rituum, ac ceremoniarum ab hominibus inventarum, seu excogitatarum antiquandam esse.

8. Primatum Papæ super omnes Ecclesias, im-

primis potestatem ejus supra omnes politias, seu utrumque ejus gladium penitus pernegant, nec censent alios gradus sacerdotales in Ecclesia retinendos esse, præter Sacerdotum, Diaconorum, & Episcoporum.

9. *Communionem sub utraque specie & piam & necessariam, utpote à Christo ordinatam & præceptam.*

10. *Romanam Ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi: papam esse omnium errorum fontem, & verum Antichristum.*

11. *Indulgentias quoque rejiciunt: tametsi illæ infra quadringentis annis, nempe ante 250. annos a Bonifacio excogitatæ sint.*

12. *Conjugium sacerdotum pium ac necessarium esse, in Ecclesia.*

13. *Verbum Dei audientes ac rectè sentientes, Ecclesiam ejus esse, eique, Ecclesiæ claves à Christo datas, eóque etiam posse ac etiam debere lupos fugare, & veros bonosq; pastores Christi vocare, & eorum vocem audire, ac ab illis sacramenta percipere.*

Sadoleti testimoniũ de Vuldẽsibus.

Thuanus docet lib. 5. eos hanc fidem *à majoribus suis accepisse, & per aliquot annorum centurias docuisse*. Idem docet Sadoletum Cardinalem pronunciasse, *reliqua quæ his adduntur, per invidiam illis affingi.*

Iam verò hæc est ipsissima doctrina, quam Lutherus illis incognitus deinde professus est. Ex hac nuda & simplici narratione æquus lector judica-

judicare potest, eam doctrinam, quam Lutherus docuit, non à Luthero excogitatam, neque novam esse, sed illo etiam nesciente per universam Europam obtinuisse, priusquam ille eam doceret. Et rectè Thuanus observat hanc esse veram causam, quare Luthero eam proponenti tam multi in diversis & dissitis locis per universam Europam se adjunxerint.

Causa, quare tam multi se Luthero adjunxerint.

Quod adversarius Albigensibus, arma & bella exprobrat, rectiùs fecisset si siluisset. Adhuc enim in recenti memoria est, Merindoliensis & Cabriensis laniena, quâ Papistæ eos ut inermes, & minimè resistentes plusquam thurcicè, dilaniaverunt. Ascribam de horum armis magni illius, quem modò laudavi, Thuani judicium in præfatione ad Regem. *Cùm*, inquit, *contra VValdenses exquisita supplicia parũ proficerent, & remedio, quod intempestivè adhibitum fuerat, malum exacerbaretur, numerusq́ꝫ eorum indies cresceret, justi tandem exercitus conscripti sunt, nec minoris molis bellum, quam quod antea nostri adversus Sarracenos gesserunt, contra eosdem decretum est, cujus is exitus fuit, ut potiùs cæsi, fugati, bonis ac dignitatibus ubique spoliati, atque huc illuc dissipati sint: quàm erroris convicti resipuerint: itaque qui armis se initio tutati fuerant, postremò armis victi in Provinciam apud nos, & Gallicæ ditionis alpes vicinas cõfugerunt, latebrasque vitæ ac doctrinæ suæ iis in locis repererunt: pars in Calabriam concessit, in eaque diu atque adeo us-*

Effecta persecutionis VValdẽsium.

quæ ad Pii IIII. pontificatum se continuit: pars in Germaniam transiit, atque apud Bohemos, in Polonia, & Livonia larem fixit, alii in occidentem versi in Britanniam perfugium habuerunt.

Regna Calvini et Lutheri. Planè ridiculus est, cùm Calvino & Luthero sua ipsis regna exprobat. Exiguis enim stipendiis contenti, modestè & parcè continuis laboribus, quos veritati illustrandæ impenderunt, vitam transegerunt, & posteris nihil nisi immortale pietatis, zeli, eruditionis, & constantiæ nomen, famamque reliquerunt. Quod autem illi quandoque questi sunt, se metuere barbariem, & Prophetas & Apostolos imitati sunt. Similes enim passim voces in illorum libris reperiuntur, inde autem minimè sequitur, eos metuisse Ecclesiæ interitum. Potest enim Deus ingratum mundum barbarie punire, & tamen Ecclesiam suam, etiam in media barbarie conservare. Cùm igitur sola Ecclesia non duratura sit ad mundi finem, & ea doctrina, quam nos profitemur, etiam papistarum confessione, à tempore Sylvestri, aut Petri, ad hanc usque ætatem duraverit, non video quid illi hæc duratio prodesse possit?

Caput. IV.

Nota quarta est Amplitudo.

An ãplitudo sit nota Ecclesiæ? Quarta nota est Amplitudo, sive multitudo, & varietas credentium. Ecclesia enim verè

verè Catholica non solùm debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnium hominũ genera. Sic n. explicat Vincentius Lyrinensis in suo cõmonitorio, ubi dicit eos dici Catholicos propriè, *qui tenent id, quod semper, quod ubiq;, quod ab omnib. creditum est.* *Catholicũ secundum Lyrinensẽ.*

Vt Amplitudinem ostendat, definit, ex Lyrinensi, quid sit Catholicum. Sed de eo dictum est nota prima. Definitio Lyrinensis nimis delirat, quid enim? Súntne Catholici qui tenent id, quod semper, ubique, & ab omnibus creditum est? Si verum dicit, neque Christus, neque Petrus, neque Paulus sunt Catholici. Non enim tenebant illud, quod semper, ubique, & ab omnibus creditum erat. Quin Pagani, qui tempore Apostolorum fuerunt majore jure Catholici dici potuerunt, tenebant enim quod semper, ubique, saltem extra Iudæam, & ab omnibus (Iudæos excipio) hominibus creditum erat. Hanc igitur Lyrinensem definitionem explicamus in hunc modum, *Quod omnes, ubiq;, & semper, secundũ Dei verbum crediderunt*, Catholicum est. Sed hoc modo modernus Papismus Catholicus non est, non enim tenet id, quod est secundum Dei Verbum, neq; q̃ oẽs homines ubiq; & semper secundũ Dei verbum tenuerunt. Quamquam in hac Lyrinensi definitione etiam multæ aliæ cautelæ observandæ sint. Fatetur hoc ipse Bellarminus, notat enim quatuor, quibus hanc definitionem mitigat. *Vnum*, ut non *Papismus non est Catholicus.*

exclu-

excludat ulla tempora, loca, vel hominū genera, ut hac ratione distinguatur ab Ecclesia Iudaica, quæ *uni tempori*, videlicet usque ad adventum Messiæ, *uni loco*, videlicet Iudææ, *uni familiæ*, videlicet filiis Iacobi alligata erat. 2. ait *non sit simpliciter in omnibus hominibus*, sed tantùm requiri, ut in omnibus Provinciis sint aliqui, qui ad eam pertineant. 3. Vt non sit, *simul in omnibus Provinciis*, *sed successivè*. 4. Vt nunc occupet si non totum orbem, saltem *magnam ejus partem*. Idque propterea, quòd Ecclesia nunc senuit, & si in juventute non crevit, in hac decrepita senectute crescere non possit. Tria priora damus, hoc postremum nequaquam, ex qua enim scriptura nobis preleget, Ecclesiam senuisse, & hoc seculo per universum orbem, vel magnam ipsius partem illustrem fore. Equidem ultimo tempore, quo Christus ad judicium rediturus est, non admodum amplam eam fore sacræ litteræ prædixerunt. Luce 18. 8. *Veruntamen filius hominis cùm venerit, num reperturus est fidem super terram?* Deinde pugnat quarta nota cum tertia. Illa enim dicit veram fore Ecclesiam Catholicam, etiamsi una tantùm Provincia veram fidem retineret. Hæc verò dicit oportere eam hoc tempore vel totum orbem, vel maximam ejus partem occupare. Si verbum *oportet*, illi idem est, quod necesse est: tum hæc duo simul vera esse non possunt. Nam si vera Ecclesia erit, etiamsi in una tantùm provincia fuerit: tum non

Ecclesia an senuerit.

non est necesse, ut per universum terrarum orbem sit dilatata. Causa, qua adversarius nititur, est falsa. Ecclesia enim non senuit, neque unquam senescet.

Iam verò (subjungit) nostram Ecclesiá maximam orbis partem occupasse, & esse verè Catholicam, ita probatur. Nam tempore Apostolorum in toto mundo fructificare cœpit, ut Paulus dicit in epist. ad Colossenses primo capite.

Crediderim Adversarium illud, *nostram Ecclesiam*, intelligere de moderna Romana, sive de Papismo. Sed hoc sensu illud falsum est. Moderna enim Romana tempore Apostolorū non fuit, neque est una cum illa. Illa enim non agnovit hunc universalem Romanæ sedis primatum; neque monastica hæc agmina, neque sacerdotum cælibatum, neque cultum imaginum & reliquiarum, neque invocationem mortuorum, neque purgatorium, neque nundinationes Papales, neque ullum ex omnibus illis culinariis dogmatis, quibus alitur, & sustentatur culina Romana, quin omnia hæc rejicit. 1. Pet. 5. 2. *Ego Presbyter, inquit Petrus, precor Presbyteros, Pascite gregem qui penes vos est non dominantes clero.* Subsequenti tempore, adeò astricti erant omnes Episcopi, etiam Romanus huic regulæ, ut nullum omnino cætum curaret, nisi qui penes ipsum erat. Nam cùm Marcion à Patre excommunicatus fugeret Romam, & à Papa peteret recipi in communionem, respondebat Romanus

Papismus non fuit tempore Apostolor.

Apostolica Ecclesia non agnovit culinaria dogmata moderni papismi.

Apostolica Ecclesia ignoravit hunc primatū Papæ.

nus Episcopus sibi hoc absque consensu Patris ipsius, à quo Marcion excommunicatus erat, *non licere*. Epiphan. hæres. Marcionitar. Niceni Patres Episcopo Romano suburbicarū Ecclesiarū curam addixerunt. Cùm verò Papa altiùs scandere vellet, definitū est in multis synodis, ut *nemo primus Episcopus* ne Romanus quidem dicatur. Monachismus ipsis adversariis testibus post Apostolorum tempora cæpit, & ille qui nūc est, à veteri monachismo tantum differt, ut non magis inter hūc & illum, quā inter lucem & tenebras conveniat: Veteres enim omnes monachi vivebant in solitudine extra urbes; moderni verò in locis celeberrimis, & maxima populi frequentia; veteres labore manuum suarum sibi victum parabant; hi sunt otiosi ventres; veteres subjecti erāt magistratibus; hi nullius magistratus imperium agnoscunt; Veteres nullo voto obstricti fuerunt; hi nisi voto obstricti sint, inter monachos locum non habent. De sacerdotum conjugio inquit Paulus 1. ad Timoth. 3. 2. *Oportet Episcopum unius uxoris virum esse.* De cultu Imaginum, inquit Moses lib. 2. 20. 5. *Non incorvabis te iis, neque coles ea.* De sanctorum invocatione loquitur Petrus Act. 10. 26. *Surge, nam & ego homo sum.* De purgatorio, docet Paulus Rom. 5. 1. *Iustificati fide, pacem habemus apud Deum.* & Rom. 8. 1. *nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu.* Contra Nundinationes Papales concionatur Petrus 1. Eph. 1. 18. *Scitis vos non caducis*

Apostolica Ecclesia ignoravit modernū monachatū

Modernus Monachatus nō congruit cum veteri.

Apostolica Ecclesia ignoravit modernū cælibatum

Eadem ignoravit cultum imaginum.

Sāctorum invocationem.

purgatoriū

cis

cis rebus, argento, vel auro, fuisse redemptos, sed pracioso sanguine agni immaculati, nempe Christi. Mat. 10. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* Verùm non tãtum hæc culinaria dogmata sunt nova, sed cultus divinus, quem Papismus observat, ordo, quo Papales sacerdotes initiantur, regimen, quo Ecclesiam regunt, & ipsa sacramenta (Cænam & Baptismum excipio) quibus suos astringunt, sunt nova, hæc duo ita adulterata sunt in Papismo, ut si Petrus resurgeret, ea non agnosceret. Atque hæc est constantia argumentorum Bellarmini. Proposuerat omnia de moderni Papismi amplitudine, & probationem affert de amplitudine veteris Apostolicæ Ecclesiæ. Eodem modo Irenæus lib. 1. cap. 3. Tertullianus contra Iudæos capite 3. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ. Athanasius de humanitate verbi, Chrysostomus & Hieronymus in cap. 14. Matthæi. Augustinus Epistola, 78. & 80. docent Ecclesiam per universum orbem propagatam esse. Fateor, sed illam antiquam apostolicam, non hanc novam Papalem, Hanc n. ne noverunt quidem. Gregorius idem docet rectè, sed Papa non est unus cum Gregorio, neq; moderna Romana est una cum illa Romana, quæ fuit tẽpore Gregorii. Ille enim docebat universalis titulum esse contra *Canones veteres*, cõtra omnes *Ecclesias*, contra *Dei verbũ*: contra *ipsum Deum*, addit esse *rem novam* & à *nullo unquam bono viro usurpatam*. Papa verò modernus se universalem esse jactat, & anathemate

Cultum divinum.

Ordinem Sacerdotalem.

Regimen Papale.

Sacramenta.

Acumen Bellarminianum.

Vniversalis Episcopus.

mate

mateserit eos, qui eum pro tali agnoscere, aut eum ut universalem adorare recusant. Crediderim adversarium hoc vidisse, ideo stramineum fulcrum suæ stramineæ doctrinæ quærit, & dicit Gregorium ad Episcopos Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, & Germaniæ Epistolas misisse. Quid audio? Gregorius ante mille annos ad varios Europæ Episcopos litteras misit? Num inde inferes eum fuisse universalem Dominum totius Ecclesiæ? aut probabis istinc modernum Papatum fuisse tempore Gregorii? Apage has nugas.

Gregorius scripsit ad multarum regionum Episcopos Ergo est monarcha.

Post hæc ex Monacho fit Thraso, & dicit Romanam Ecclesiam hoc tempore tenere Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Græciam, Syriam, AEthiopiam, AEgyptum, in oriente Indiam, in occidente Americam, in meridie Brasiliam, in septentrione Iaponiam, ad quod nihil habeo respondere, quàm quòd illi talem mentem precor, ut velit expendere, Papatum, ex tota Anglia, Scotia, Norvegia, Dania, Suetia, Saxonia, Holsatia, Pomerania, Hasia, Misnia, Thuringia, Hollandia, Zelandia, maxima parte superioris Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Helvetiæ, & Galliæ esse profligatũ, & ut ex Bartholomæo de la Casas velit discere, quõodo? quib. mediis? & quali concionãdi genere Iesuitæ per Hispanos converterint Indos? quod si faciet, pudebit eum, sat scio, hujus plusquam thra-

An Romana nũc Ecclesia teneat totum orbem.

thrasonicæ jactantiæ. De amplitudine Augustanæ confessionis nihil dico, quam eam esse ampliorem & illustriorem, quam adversarii velint, quod autem dicit eam in Hispania & Italia ignotam esse, falsum esse arguunt, tam frequentia martyria eorum, qui in Italia & Hispania veram fidem Augustana confessione expressam confessi sunt: quod autem dicit Gallos & Anglos non recipere istam confessionem nisi nomine tenus, falsum esse docet Harmonia confessionum ad has calumnias refutandas edita. Equidem inter Germanos Anglos & Gallos rectiùs convenit, quam Monachi vellent. An verò Ecclesia nostra magis crescere debeat nec ne, soli Deo, qui omnia futura novit, cognitũ est. Equidem his temporibus in Helvetia, Gallia, Rhetia, Stiria, Hungaria & Flandria, non vulgaris accessio facta est, & confidimus Deum etiam post nostra tempora incrementum daturum esse.

Augustana confessio.

CAPUT V.

Quinta nota est successio Episcoporum.

QVinta nota est successio Episcoporum in Romana Ecclesia, ab Apostolis deducta usque ad nos.

An successio sit nota Ecclesiæ?

In prima Ecclesia veteris Testamenti, in prima item Ecclesia novi Testamenti, non fuit Episcoporum successio. De veteris Testamenti Ecclesia constat, Nam ante illam nullus fuit E-

non convenit omni,

piscopus. Ante novi quidem Testamenti Ecclesiã fuit Episcopus sive summus Sacerdos, sed nulla Episcoporum novi Testamenti in Episcopatum veteris Testamenti successio. Neque enim Christus Caiphæ, aut ullius Levitici sacerdotis, neque Apostoli Levitarum successores fuerunt. Deinde Ecclesia Constantinopolitana æquè superbè Episcoporum successionem jactat, atque Romana. Quo argumento adversarius ita movetur, ut dicat, *Argumentum à legitima successione afferri præcipuè, ad probandum non eße Ecclesiam, ubi non est hæc successio, ex quo tamen non colligitur necessariò, ibi esse Ecclesiam, ubi est hæc successio.* Bellarm. de not. Eccles. l.4. c.8. Ne scilicet cogatur fateri Constantinopolitanam, quę non agnoscit Papam, esse veram Ecclesiã. Quid igitur faciet Primæ Ecclesiæ veteris Testamentis, quid primæ Ecclesiæ novi Testamenti? Nam ut jam dixi, utraque hac successione destituitur. Num negabit illas esse veras Ecclesias? Appage igitur hanc notam, quæ neque omni Ecclesiæ, neque soli, neque semper convenit. Quòd Patres aliquando successionem inculcant, intelligunt de ea Episcoporum successione, quæ est cum doctrina conjuncta. Irenæus enim lib.3. cap. 3. enumerat Episcopos Romanos; sed addit, *Eam, quam habet ab Apostolis traditionem & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum venientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam*

Non convenit soli.

Quã successionem urgeant patres.

Irenæus.

centiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet colligunt, & lib. 4. c. 3. *Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris, obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes.*

Tertullianus de præscriptione hæreticorum, inculcat hanc eandem successionem, & enumerat Episcopos, Romanos, sed addit cap. 21. Incedendum esse in ea regula, *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus a Deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam esse mendacio præjudicandam.* Et c. 32. *ipsa hæreticorum doctrina cum Apostolica comparata, ex diversitate, & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici viri.* Hinc est quod eodem libro jubet *percurrere Ecclesias sonantes vocem Apostolorum.* De Epiphanio, Optato, Augustino & similibus, est idem judicium. Patres igitur intellexerunt successionem Episcoporum, cum vera doctrina conjunctam, & eam successioné quæ à doctrina separata est, nullius momenti esse judicarunt. Sed hanc personarum successionem cum doctrinæ successi-

Tertullianus.

Successio episcoporũ cum vera doctrina conjuncta.

one conjunctam nos recipimus. Quod addit Rempublicam Romanam esse sæpe mutatam, Petri tamen sedem non esse mutatam, fatemur variè mutatam esse Rempublicam Romanam, sed non legimus post Constantium Magnum, ullum vel imperatorem, vel regem, vel Cæsarem, vel denique Monarcham, aut exarchum dominatum esse Romanis. qui fuerit paganus, aut Turca: si enim hoc accidisset, sine dubio Roma eandem fortunam cum Antiochia, & Alexandria, experta esset. Alterum arguit stuporem. Si enim Bellarminus non videt doctrinæ, gubernationis, cultus divini, sacramentorum, atque adeo totius religionis mutationem in Ecclesia Romana, est admodum stupidus, & plane ex eorum numero, quibus Deus hujus seculi mentem exæcavit, ne videant veritatem.

Doctrina mutata est

Vt hoc argumentum intelligatur, notat primum, Ecclesiam nullo modo sine Pontificibus, aut Episcopis esse posse. Et ad hanc thesin probandam affert illud Pauli ad Ephes, 4. *Ipse dedit alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios Pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes*. & Actorum, 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei.* quod quorsum scribat non video. Nam ut nos legitimum Ecclesiæ ministerium reverenter habemus, ita scimus Apostolum nequaquam loqui

Ecclesia an possit esse sine Episcopis.

qui de his mitratis & infulatis Papalibus Episcopis, hos enim neque Christus instituit, neque iis Ecclesiam suam pascendam commisit. Ipse Gregorius testatur titulum universalis Episcopi, quo nūc tantopore gloriatur Papa Romanus, esse contra *veteres Canones*, contra *omnes Ecclesias*, contra *Sacram scripturam*, contra *ipsum denique Deum* excogitatum, & *à nullo unquam bono viro usurpatum* lib. 4. ep. 34. Qui vel extremis digitis attigit sacram scripturam, fatebitur modernos Episcopos, quales hodie in Papismo ostenduntur, in ea non reperiri. Illorum enim munus est docere, & sacramenta administrare. Horum verò à multis seculis nemo docuit; neque docere potest, quin putant illud sibi probro esse. Deinde Ecclesia Romana sæpe caruit Episcopis. Narrat enim Platina post Iohannem tertium *vacasse sedem mensibus decem & diebus tribus*. post Pelagium secundum, *mensibus sex, diebus viginti octo*. post Gregorium *mensibus quinque, diebus novendecim*, post Fabianum *mensibus undecim, diebus viginti sex*, post Bonifacium tertium *mensibus sex, diebus viginti quinque*, post Severinum *mensibus quatuor, diebus viginti novem*. Post Martinum primum *mensibus quatuordecim*, post Vitalianum *mensibus quatuor, diebus quindecim*, post Paulum *anno uno, mense uno*, post Nicolaum primum *annis octo, mensibus septem, diebus novem*. Plures vacationes numerari possent, ut necesse sit Bellarminum revocare, quod dixit,

Christus non loquitur de Papalibus Episcopis.

Vniversalis Episcopus.

Ecclesiam nullo modo carere posse Episcopis; aut concedere Romanam Ecclesiam jam dudũ corruisse. Nos dicimus Pastores tales, quales Christus instituit, esse necessarios, & Ecclesiam sine iis longo tempore esse non posse, brevi tamen tempore Ecclesiam iis orbari posse, & tamen non propterea statim interire.

Episcopi debent aut Apostolis, aut Apostolicis succedere.

Secundò notat eos tantum esse veros Episcopos, qui *ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descenderunt*. Si hoc intelligit de successione in doctrinam & verum Episcopale munus, hoc est, in predicationem Euangelii & administrationem sacramentorum, idque in statu Ecclesiæ integro, assentior. Sed tum neque ipse Papa, neque Papales Episcopi veri Episcopi sunt, non enim doctrinam Apostolicam tenent, neque Episcopale munus curant. Si verò de personali tantúm successione hoc accipi debet, etiam ipsorum adversariorum facto, & confessione falsum est, multos enim, ipsorum judicio, Apostolis per legitimam successionem, & ordinationem succedentes, ex Catalogo Paparum eradicarunt, ut Honorium, Liberium Felicem, & alios, nulla alia de causa, quàm quòd in Apostolica doctrina non perseverarunt. Si verò de statu Ecclesiæ corrupto loquitur, tum multa sæpe fiunt, quæ fieri non debent, & multa omittuntur, quæ sũmopere necessaria sunt. Mitigamus igitur hanc thesin, & dicimus ita fieri debere, in statu Ecclesiæ integro & incorrupto; cum verò ille

Papa neq; Apostolus est, neque Apostolicus

Non õnis personalis successio bona.

Quidam Papæ mali

ille corruptus est, & perturbatus, tum hæc non perfectè observari, quandoque etiam extra ordinem quosdam à Deo excitari, qui corruptum Ecclesiæ statum corrigant & emendent. Quod dicit Christum tantùm duodecim Apostolos elegisse Episcopos & Sacerdotes, atq; iis omnem Ecclesiam pascendi potestatē concessisse, nihil facit ad rem, & falsum est. Præter hos enim & septuaginta elegit, quos emisit ad docendum, æquè falsum est, quod dicit Paulum non fuisse agnitum pro Apostolo, nisi ab iis fuisset in Ecclesia & baptizatus & ordinatus. Disertè enim dicit, *se neque ab homine, neque per hominem Apostolum constitutum esse.* Galat. 1. 1. alio loco dicit, *se nihilo inferiorem esse primis Apostolis.* Fateor quidem Petrum Iohannem & Iacobum *dedisse illi dextras societatis.* Galat. 2. 9. sed longo tempore post quam Apostolus factus erat. Ipse Paulus narrat ad Galat. cap. 1. vers. 18. se totos *tres annos versatum esse in Apostulatu, priusquam quēquam ex Apostolis viderit* ut crassiss. inscitiæ sit, dicere eum non fuisse agnitum pro Apostolo, priusquam Apostoli illi dederint dextras societatis, & eum ordinaverint.

An Paulus non sit agnitus pro Apostolo priusquā ab Apostolis ordinatus sit

Tertiò, notat duo requiri, ut aliquis Episcopus dicatur, ab Apostolis legitimè descendere, & proinde esse legitimus Episcopus. *Unum* est, successio. *Alterum*, ordinatio. Hic plane ineptit Bellarminus, & nescit quid dicat, Proposuit ostendere eos esse veros Episcopos, qui Aposto-

lis ſuccedunt, nunc docet eos ab Apoſtolis deſcendere, qui habent legitimam ſucceſsionem, hoc eſt, qui Apoſtolis ritè ſuccedunt, quid hoc aliud eſt, quam eos ſuccedere Apoſtolis, qui eis ſuccedunt? Quod ſi hanc theſin intelligit de ſucceſsione in eodem loco, tum eſt falſa. Multis enim locis ſunt veri Epiſcopi, in quibus nulli unquam Apoſtoli docuerunt. Tertull. de præſcript. c. 32. *Ad hanc formam provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis aut Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, ut multo poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* Vidit ipſe Bellarminus hujus theſis infirmitatem. Nam cum quodam loco novus Epiſcopus inſtituitur, tum utique ille non eſt Apoſtolorum ſucceſſor, ſaltem illo loco. ſatis igitur eſt, ut ſit ſucceſſor in doctrinam, & munus Epiſcopale, neq; eſt neceſſe ut doceat eo loco ubi ante Apoſtoli docuerunt.

Poteſt eſſe bonus Epiſcopus, qui docet in eo loco, in quo nullus Apoſtolus docuit.

Vt hoc conciliet, dicit neminem poſſe novum Epiſcopatum inſtituere, niſi qui habet Apoſtolicam auctoritatem. Sed hoc eſt falſum, & ex ſcriptura probari nequit. Aeque falſum eſt, quod dicit ſolum Papam Romanum habere Apoſtolicam autoritatem, neque unquam hoc Bellarminus ex ſcriptura probabit.

Quis habeat poteſtatẽ mittendi Epiſcopum.

Ratio hujus rei, quam adverſarius affert, eſt inepta. *Inſtitutio,* inquit *novorum Epiſcopatuum non pertinet ad eum, qui habet definitam regionem*

Om-

Omnis enim Episcopus qui est, fuit, & erit, habet definitam regionem, jubetur enim *eum gregem pascere, qui penes ipsum est*, ut ante ex Petro docui. Deinde totius Ecclesiæ tantum *unus Episcopus est, cujus à singulis Episcopis tenetur pars in solidum*, ut alibi ex Cypriano ostendi. Planè autem jesuiticatur cum dicit *Petrum ex officio talem fuisse, cæteros Apostolos ex delegatione*. Christus enim omnibus Apostolis idem munus imposuit, & mandavit ut illud uno & eodem modo administrarent. Ioh. 20. 22. *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos*. Mat. 28. *ite in mundum universum, & docete omnes gentes*. Cyprianus de simplicitate Prælatorum. *Hoc erant reliqui Apostoli, quod & Petrus, pari consortio præditi et honoris & potestatis*. Hujus igitur rei infirmitatem videns, dicit Athanasium in oriente novos Episcopatus instituisse, sed pueriliter impingit, cum asserit eum hanc potestatem ab Romana sede accepisse. Cujus rei falsitatem ostendimus cum de Papa disputaremus. ibidem docuimus Papam æquè atque cæteros fuisse à vicinis confirmatum, & eos constitutos fuisse Episcopos, quos Papa recusabat, & quos ille approbabat, fuisse aliquando rejectos.

Omnes Apostoli officio & munere episcopali pares.

Athanasius in oriente constituit Episcopos.

Dicit *ordinationem fieri debere a tribus Episcopis, qui & ipsi Apostolis successerunt*. Verum sciat hanc thesim non esse ex sacra scriptura deprom-ptam, quia tamen ad concordiam faciebat, ut vicini Episcopi confirmarent eum, qui Ecclesiæ

A quibus Episcopus ordinãdus sit?

præficiendus erat, & cùm omnes totius Provinciæ Episcopi convenire non possent, ut saltē tres reliquorum nomine eum ordinarent: quia etiam hoc ipsum eo pertinebat, ne quis seipsum intruderet, admittimus hanc constitutionem, videlicet in integro & incorrupto Ecclesiæ statu. Cùm verò is collapsus est, tum opinamur hoc non ita strictè observari posse. Vidit hoc ipse adversarius, & ob eam causam dicit iis locis, ubi est magna Episcoporum raritas, fieri id posse per unum Episcopum, & infulatos abbates. Vbi tamen pueriliter impingit, dum nobis infulatos Abbates inculcat. Illi enim à Christo instituti non sunt, & ob eam causam meritò rejici debēt. Contra adversarium est, quod scribit Paulus 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* Per presbyterium enim intelligit presbyteros, qui prædicant Euangelium & administrant sacramenta. Sed hi in Papatu planè excluduntur ab ordinatione. Verum quidem est presbyteros in scriptura vocari Episcopos, sed non mitratos Episcopos Papales, qui nihil minùs sunt quàm Episcopi, sed qui Euangelium prædicant, & sacramenta administrant. Non nocet causæ nostræ, quòd Chrysostomus, Theolophylactus, & OEcumenius, per presbyterium Episcopos intelligunt. Necesse enim est, ut locus intelligatur de iis Episcopis, qui eo tempore, quo Paulus hoc scribebat, fuerunt. Tum verò omnes

Infulati Abbates.

Presbyter est Episcopus.

nes presbyteri, qui Euangelium prædicabant & sacramenta administrabant, erant Episcopi, atque hujusmodi sæpe multi fuerunt in uno loco, Actor. 20. 17. *Misit Ephesum & advocavit presbyteros Ecclesiæ* Qui cùm pevenissent ad ipsum, dixit eis, *Attendite vobis ipsis, & toti gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine.* Eodem modo Apostolus subindicat Philippis plures uno tempore Episcopos fuisse, Philippens. 1. 1. *Omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, unà cum Episcopis, ac diaconis.* Sed mitrati Episcopi Papales, neque prædicant, neque Ecclesiam pascunt, neque id sui muneris esse existimant. Quin hæc potestas est impatiens consortis, & ob eam causam in una urbe, quid dico de una urbe? sæpe in una, eaque magna provincia, etiam interdum in multis provinciis non est nisi unus, qui non prædicando, sed lituo, bicipiti mitra, annulo, & pallio ab aliis discriminatur, atque hic in sua provincia neque parem neque superiorem ferre potest. Quilibet æquus lector comparet Episcopos Papales cum Episcopis Ephesinis, & Philippēsibus, & videbit, inter hos & illos, præter inane nomen non plus similitudinis esse, quàm inter secularem principem & ministrum Ecclesiæ. Nos igitur hanc thesim corrigimus, & dicimus non Episcopos Papales, sed presbyteros qui Euangelium prædicant, sacramenta administrant, idque juxta

Plures Episcopi in uno loco fuerunt.

Dei

Dei verbum curant, ac propterea in scriptura Episcopi vocantur, habere ordinandi potestatem, atque ab his pastores Ecclesiæ ordinari debere.

Notat quarto, *hæreticos nostri temporis*, ita vocat nos, *neque ordinationem, neque successionem habere, ac proinde esse impudentiores antiquis hæreticis, qui licet successione destuebantur, ordinationem tamen habebant, protestantes negant utrũque, & dicunt se neque vera successione, neque ordinatione, destitui*; sed quia de utraque proximo argumento plura dicenda sunt, sufficit nunc thesin totam quam adversarius pro confesso sumit, negare.

An protestantes sint sine Episcopis?

Ex quo argumentum insolubile sumitur hoc modo. Ecclesia non potest esse sine Episcopis. Apud Lutheranos non sunt Episcopi, nam non habent ordinationem, neque successionem ab Apostolis. Igitur apud eos non est Ecclesia.

Episcopus vox æquivoca.

Episcopus propriè sic dictus.

Quia adversarius hoc argumentum insolubile esse jactat, respondebo clare, & primum dico esse æquivocationem in vocabulo *Episcopus*, significat enim eum, cui Euangelium prædicãdi, & sacramenta administrandi munus commissum est, atque hoc modo Actorum 20. cap. & ad Philip. primo capite, hæc vox accipitur; hic Episcopus verè & propriè Episcopus dicitur, & nihil omnino differt à presbytero. Deinde hæc vox delapsa à prisca consuetudine significat eum, qui bicipiti mitra, lituo, annulo & pallio

pallio à cæteris diſtinguitur, & nulla omnino re, niſi nomine tenus Epiſcopus eſt, quales ſunt omnes Papales Epiſcopi. Hoc intellecto dico Majorem, ſi de Papalibus Epiſcopis intelligitur, eſſe ſimpliciter falſam, tantum enim abeſt, ut ſine iis Eccleſia eſſe nequeat, ut nunquam ad priſcam integritatem redire poſsit, quam diu erunt qui opimas illas mitras, & quæſtuoſa pallia ſperabunt. Si verò de iis, qui revera Epiſcopi ſunt, intelligitur, oſtendimus ante, Eccleſiam ad exiguũ aliquod tempus ſine iis eſſe poſse. Ac licet tum miſerrima ſit ejus facies, tamẽ poſſe eam ad iſtam miſeriam redigi, & tamẽ ſupereſſe, docet exemplum Eccleſiæ veteris teſtamẽti. pſalmo. 84. 9. *ſigna noſtra non videmus, non eſt ultra propheta, nec eſt nobiſcum qui cognoſcat uſque quo.* Ceſſabat eo tempore miniſterium, non habebant templum, non habebant ſacrificia, non habebant ſacerdotem, Ipſa circumciſio intermittebatur, Eccleſia tamen non peribat, ſed duriſsimis etiam iſtis ſeculis, etiam media captivitate manſit incolumis. Quin idem in Novo Teſtamento fieri poſſe dicamus? Addimus & Eccleſiam Papalem fuiſſe quandoque ſine epiſcopis, quod nos paulò ante ex crebris & diuturnis ſedis Papalis vacationibus demonſtravimus. Si Minor intelligitur de epiſcopis Papalibus, tum eſt vera, tales enim non habemus, neque agnoſcimus; ſi vero de iis qui Euangelium prædicãt, & ſacramenta ſecundum Dei verbum adminiſtrant

Epiſcopus nomine tenus.

Eccleſia brevi tempore poteſt eſſe ſine Epiſcopo.

Eccleſiæ Papalis fuit quandoque ſine Epiſcopo.

strant, intelligitur, tùm est falsa. Hujusmodi enim Episcopis Ecclesia nostra non destituitur. At inquit, *non habent ordinationem, neque successionem.* Quę utraque vox est rursus æquivocan, aut n. significat verã ordinationem & successionem, qualis in Dei verbo præscribitur, aut significat talem successionem & ordinationem, qualis in Papismo usitata fuit. Si prima significatione intelligitur, dicimus nostros pastores & successionem & ordinationem habuisse, sed in eo impingit Bellarminus, quòd opinatur Lutherum, OEcolampadium & Zuinglium fuisse primos Episcopos nostræ Ecclesiæ. Nam in Lombardia, Calabria, Subaudia, Gallia, Saxonia, Bohemia, Polonia, Moravia, Silesia, Anglia, Pomerania, Boursia, Saxonia, & reliquis Europæ partibus etiam ante Lutheri ætatem fuisse nostram Ecclesiam celebrem, & habuisse suos conventus, scholas, Pastores, & doctores, ac professam esse eandem doctrinam, quam nos nunc profitemur, eamque à tempore Sylvestri, vel ipsius Petri, quemadmodum quidam ex adversariis testantur, per manus traditam, constanter retinuisse, antè ostensum est. Si verò posteriori significatione accipitur, dicimus Lutherũ, OEcolampadium, Zvvinglium, Bucerum, Farellum & alios fuisse presbyteros, Pastores, & doctores, cùm adhuc in Romana Ecclesia agerent. Habuerunt igitur eandem successionem, & ordinationem, quæ tum in Romana Ecclesia

Successio & ordinatio, voces æquivocæ.

Ecclesia protestantium fuit ante Lutherum.

Lutherus, Ocolamp. Bucer. Zuing. Farel. habuerunt illã ordinationem & successionem quæ tunc usitata erat.

usita-

usitata fuit. Nihil igitur ad rem facit quod dicit neque Lutherum, qui habitus est Episcopus VVitebergensis, neque Zuingliũ, qui habitus est Episcopus Tigurinus, neque OEcolampadiũ, qui habitus est Episcopus Basiliensis, neque Calvinum, qui habitus est Episcopus Genevensis, à tribus Episcopis, aut ex dispensatione ab uno Episcopo & assistentibus Abbatibus ordinatum esse. Sunt enim eo modo presbyteri ordinati, qui tum in Papistica Ecclesia usitatus fuit, cùm autem viderent Papam cauponari Christianorum animas, & jactare se peccatorum veniam, (indulgentias vocant) pecunia vendere posse, & simul intelligerent ex Dei verbo, presbyteri esse pascere gregem, qui penes ipsum est, rectè fecerunt, quod de suo numere prout illud in Dei verbo perscriptum est, seriò cogitarunt, & hoc ipsum intrepidè exercere aggressi sunt, at inquis, *non in hunc finem presbyteri ordinati fuerunt*, & cùm *ordinarentur, in Papæ obsequium jurarunt*. Quid audio? Deus mandavit, ut presbyter verbum Dei prædicet, & sacramẽta secundum Dei verbum administret. Papa præcipit, ut secundum mentem & voluntatem suam presbyteratu fungantur. Papa adegerat eos ut in suum nomen jurarent, at illi ipsi jurarunt in nomen Christi, cùm babtizarentur. Iudicet æquus lector, an laudibilius fuerit Deum sequi & juramenti ipsi præstiti memorem secundum Dei verbum munus suum administrare, an verò

Luther. Zvvingl. Bucer Farel. Æcolamp. rectè fecerunt qd Deum potius quàm Papam secuti sunt.

vero in Papæ obsequio contra Dei verbum perseverare. Quamquam non fuerunt tales episcopi, quales hodie passim in Papismo spectantur, satis illis fuit hunc titulum aliis relinquere, & munus, quod Deus suo verbo presbyteris injunxit, strenuè & rectè administrare. His addo nos veterem ritum de ordinatione à tribus episcopis facta, non omnino improbare, propter causas quas supra attigimus: interea tamen liberè profitemur, illud minime esse de essentia ordinationis. Nullum enim ejus vestigium in Dei verbo apparet, quo magis deploranda est pervicacia adversarii, qui dicit *ita ab Apostolis constitutum esse.* Quin legat nobis hanc constitutionẽ ex Dei verbo, aut quilibet intelligit, eum calore disputationis abreptum affirmasse, quod verum non est. Ob hanc causam etiam illa ordinatio, quæ non est à tribus episcopis facta, firma esse potest, quod & ipse adversarius videtur scivisse. Quorsum enim illud de uno episcopo & infulatis Abbatibus allegasset? Tantum in eo errat, quod nobis Abbates obtrudit, cum sciat eos à Christo constitutos non esse, ac proinde ordinandi potestatem non habere. Ridiculum est, quod de dispensatione Papæ subjungit. Scit enim quo loco apud nos sint & esse debeant Papales dispensationes. Dicit se non sine risu legisse quod OEcolampadius in sepulchri epithaphio vocatur *primus Basileæ Episcopus.* Sed dum alios ridet, videat ne seipsum ridiculũ

Ordinatio à tribus Episcopis nõ est simpliciter necessaria.

Dispẽsatio Papæ.

OEcolampadium ridens ridendus.

&

& vanum præbeat, non enim ita, ut notat Bellarminus, sed in hunc modum scriptum est, *Verus hujus Ecclesiæ Episcopus.* Discat autem Bellarminus, aliud esse *verum*, aliud *primum Episcopum*, discat item aliud esse, *hujus Ecclesiæ*, aliud *Basileæ Episcopum.* Potest enim quis esse verus Episcopus, qui tamen non est primus, potest etiam aliquis esse alicujus Ecclesiæ sive pareciæ episcopus, qui tamen Basileæ episcopus non nisi per synechdochen dici potest. Et ut Bellarminus se in omnes partes torqueat, nunquam evincet eos non fuisse presbyteros, saltem tales, quales tunc habuit Romana Ecclesia. Et ob eam causam eos habere eandem successionem & ordinationem, quam cæteri eo tempore habebant, neque hic de ordinatione aut successione à papistis litem moveri posse. Tantùm in controversiam deduci potest ab illis, an hi suo munere rectè usi sint? ac proinde non de successione, neque de ordinatione, sed de administratione muneris, rectène scilicet an malè illud administraverint, litem esse. Corruit igitur, quod ex Cypriano de simplicitate Prælatorum adducit, *Ii sunt* inquit, *qui se ultra apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se propositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.* Nam ut jam aliquoties dixi, hi neque sibiipsis presbyterium sumserunt, sed electione, quæ tum in usu fuit, electi fuerunt, neque seipsos consti-

Non de ordinatione. neque de successione sed administrationa muneris, lis esse potest.

tuerunt, sed usitata tum ordinatione ordinati fuerunt. Quod Brentius dicit *nostros à populo electos, & à magistratu vocatos esse,* non de primis initiis, sed de aliis, qui primos secuti sunt, intelligendum est. *Nam in primo initio res ita se habet,* ut dixi, neq; est quod adversarius dicit se agere de ordinatione, non de electione. *Electionem enim esse variam, nunc factam esse à plebe, nunc à Clero, nūc à rege.* Nam & ordinationē esse variā, illud & de tribus episcopis non sæper obtinuisse sciunt illi, qui in historia primitivæ Ecclesiæ exercitati sūt. Nisi fateatur adversarius, doceat nos, quæso, quisnam ordinaverit Philippum, qui insciis Apostolis prædicabat Samaritanis, act. 8. 5. & Apollos, qui prædicabat priusquam Aquilta eum viā Domini exquisitèt, docuisse act. 18. 24. & regem Iberorū qui ut & est apud Ruffin. l. 1. c. 10. *nondū ininitiatus sacris fit suæ gentis Apostolus.* Satis dictum est, à quibus Lutherus sit ordinatus, ut taceam eos, qui vocandi & eligendi potestatem habent, habere etiam ordinandi. Subjungit de successione, & dicit, *eum non successisse antiquis Episcopis, tum quia in singulis urbibus, ubi illi se fecerunt Episcopos, fuerunt anteà Episcopi. Non succeditur autem nisi defunctis aut legitimè depositis. Tum quia ipsi fatentur se esse primos earum urbium Episcopos. Nam Basileæ adhuc exstat Epitaphium, ubi dicitur.* (ut Bellarminus aliquando non sine risu legit) *Œcolampadius primus Basileæ Episcopus.* Sed quis eum docuit in

una

una urbe non posse plures episcopos esse, quàm unum? Antiqui patres ob aliquam rationem ita statuerunt; sed potior est auctoritas Apostolica, quam modo ex actorum 20. capite, & primo capite ad Philippenses ostendi. Deinde si verum est, non succedi nisi mortuis, aut ritè depositis, & si illi non sunt legitimi episcopi, qui viventis locum occuparunt, tum in Romana Ecclesia jam dudum nulla est legitima successio. Fœlix enim secũdus occupavit sedem vivẽte Liberio, testis Platina in Liberio. Vigilius viventi Sylverio sedem Romanam per vim eripuit, Iohannes decimus septimus vivente Gregorio quinto per vim Romanam sedem occupavit. *Fur in pontificatu & latro, non enim ut par fuit, per ostium intravit*, ut est apud Platinam. Gregorius sextus à Benedicto nono Pontificatum emit, Platina dicit, *eum non per ostium, sed per posticum ingressum ut latronem & furem.*

In una urbe possunt esse plures Episcopi, quam unus.

Fœlix secundus.

Papa vivente prædecessore sedem vim & fraudem occupat.

Rectiùs igitur in Papam quadrat quod dicit Cyprianus lib. 1. Epist. 6. ad Magnum, *Novatianus in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta, nemini succedens à seipso ordinatus est.* Multi etiam Papæ præsulatum pecunia & armis occuparunt, Platina in Iohanne. 12. *Iohannes duodecimus, ab adolescentia omnibus probris & turpitudine contaminatus, Alberici potentia fretus pontificatum occupat.* Idem in Bonifacio septimo. *Pontifex Romanus sacrorum pater & rex, sacra ipsa furto abstulit, &*

Papa furto abstulit Papatum.

qui vindicare sacrilegia debuerat, tanti sacrilegii factus est auctor. Idem in Sylvestro secundo. *Pontificatum adjuvante diabolo consecutus est, hac tamen lege, ut post mortem totus ipsius esset, cujus fraudibus tantam dignitatem adeptus erat.* Si Bellarminus horũ meminisset, fortasse non tam mendaciter exprobrasset Luthero, Zvvinglio, Calvino, & OEcolampadio, quòd aliorũ sedes occupassent.

Aliquis seipsum deponit. Deinde est insufficiens enumeratio, potest enim quis seipsum tacitè deponere, ut qui nunquam quicquam facit, neque faciet, quod sit muneris pastoralis. Quid ni in hujusmodi locum alius substitui possit?

Quod dicit eos se vocare primos suarum Ecclesiarum Episcopos, falsum est. Ego quidem tota vita non memini me tale quicquam vel legisse, vel audivisse. Bellarminus risit cùm epitaphium OEcolampadii legeret: sed videat ne ipsum alius rideat, scriptum est enim, non ut adversarius dicit, primus Basileæ episcopus, sed verus hujus Ecclesiæ episcópus, ut paulò ãtè dixi: inter hæc autem duo est magna differentia. Si cui ridere voluptas esset, haberet in Papisticis ordinationibus, & aliis histrionicis actionibus Ceremoniarum majorem ridendi materiam, sed quid ego de risu dico? vir bonus non teneret lachrymas, si videret Papam qui se jactat Christi vicarium, & Petri successorem, admittere reges ac monarchas ad oscula pedum suorum,

Quam multa ridenda in Papatu.

& co-

& coli ab omnibus hominibus ut Deum terrestrem, neque teneret lachrymas, si videret miserrimum populum à Monachis dementatum, cum cultum, qui soli Deo debetur, tribuere inanimatis creaturis.

Quod ad successores Lutheri, OEcolampadii, Zvvinglii, Calvini, & aliorum attinet, illi melius edocti non debuerunt à Papistis ordinationem petere, papistæ enim deseruerunt eam veram fidem, & à Christi Apostolorumque doctrina longissimè desciverunt. Ridiculum autem est, quod dicit, eos propterea *non debuisse sedibus suis privari, priusquam legitimè judicati fuissent & damnati.* Nullum enim legitimum judicium his octoaginta annis à Papa obtineri potuit; & cùm ille à Luthero, Calvino, & aliis, hæreseos, & multorum aliorum criminum accusatus sit, tamē vult ipse in sua causa judex esse, neque quemquam ad judicium admittit, nisi qui sit ipsi juramento obstrictus, & quidem tali juramento, quo ipsis non licet, verum dicere, si sit contra Papam Romanum. A tali homine nemo nisi stolidus ullam emendationem expectaverit. Magis ridiculum est, quod dicit de potiore jure possidentis: etsi hoc enim ad lites finiendas in rebus humanis valet: tamen in divinis indignum est, quod audiatur. Eodem modo potuisset Caiphas Christo & Apostolo objicere, *se non debere sua sede privari, nisi legitimo judicio convictum,* & *potius esse jus possidentis.* Po-

Successores Lutheri Zvving. Buceri. OEcolāp. Farelli & aliorum non debuerunt à Papistis ordinari.

Judicium papale.

Jus potius possidentis non valet in divinis.

teſt ne Antichriſtus duobus teſtibus, de quibus eſt in revelatione, capite undecimo, objicere, ſe non debere ſui ſedibus privari, niſi legitimè judicatum? & potius eſſe jus poſsidentis? Certò ſciens ſe quamdiu in Eccleſia ſedet tamquam Deus & in terra tanquam numen colitur, non poſſe à quoquam judicari, aut ſaltem non poſſe ſententiam contra latam executioni mandari? Deinde à vera Eccleſia jam multis collationibus, Lipſenſi, Bernenſi, Oxonienſi, Poſsiacena, & aliis convictus eſt Papa, & condemnatus. Neque nodum ſolvit, quod dicit, *quis nos judicavit præter Lutheranos? & quis eos conſtituit noſtros judices?* Deum enim hoc feciſſe eventus, qui ſtultorum magiſter eſt, comprobat. Excommunicavit Lutherum Papa, & Papam Lutherus, aperi oculos Bellarmine, & vide, Papæ ne an Luthero iſte bannus plus detrimenti attulerit? Videns adverſarius hanc reſponſionis infirmitatem, *etiamſi damnati eſſemus*, inquit, *tamen illi nobis non ſuccederent, Nullus enim Epiſcopus illos inſtituit, neque veri Epiſcopi eſſent, quia nullus Epiſcopus eos ordinavit*; quod nihil aliud eſt, quàm tacere nolle & reſpondere non poſſe. oſtendimus enim eos veros epiſcopos eſſe, & Apoſtolis ritè ſuccedere. Deinde Caiphas legitimè ſucceſsit antiquis pontificibus, & potuit uſque ad Aaronem deducere prædeceſſores ſuos, & tamen non petierunt Apoſtoli ut à Caipha ordinarentur, quin Caipha invito facti ſunt Epiſco-

Succeſſio non ſemper neceſſaria.

pi &

pi & sacerdotes, sine ulla successione. Cum igitur moderni episcopi imitentur Caipham, licet sine eorum ordinatione, & successione episcopatum gerere. Neque ad rem respondet, cùm dicit *sacerdotium Aaronicum fuisse temporale, & durasse usque ad inchoationem novi Testamenti. Deinceps verò cœpisse sacerdotium secundum ordinem Melchizedec a Christo institutum, cujus sacerdotii cùm primitiæ fuerint Apostoli, non debuerunt Caiphæ succedere, sed esse principium novi sacerdotii.* Non enim concludit Brentius Apostolos debuisse Caiphę succedere, sed concludit à simili, quemadmodū Apostoli invitis sacerdotibus suo munere functi sunt, ita Lutherum, Calvinum, & alios invitis antichristis suo munere fungi potuisse. Atque ita factum est, ringentibus, indignantibus, & Cælum terra frustrà miscentibus papis Romanis. Falsum est, quod dicit Apostolos fuisse primitias sacerdotii secundum ordinem Melchizedec instituti, solus enim Christus est sacerdos secundum eum ordinem, nec quēquam in consortium istius honoris assumit. Apostoli nihil aliud sunt, quàm hujus sacerdotii servi & legati. Deinde si Apostoli fuerunt istius sacerdotii initium, ut Bellarminus dicit, ubi tunc successio? Annon vides, successionem esse posse sine Ecclesia, & Ecclesiam sine successione? Caiphas enim habuit successionem, & ordinationem legitimam, sed eo non obstante, Dominum Ecclesiæ Iesum Christum solenni judi

Brentius defenditur.

Apostoli non fuerūt Sacerdotes secundum ordinem Melchizedec.

cio condemnavit blasphemiæ, quo facto sine dubio jus Ecclesiæ perdidit. Apostoli verò non habuerunt successionem, & tamen fuerunt in Ecclesia. Nec tamen desinit Bellarminus Iesuiticari, successionem esse Ecclesiæ notam.

Non quia enumerãt Romanos Episcopos, se illis subjectos esse ostendunt.

Argumentum ex 4. Instit. c. 2. v. 2, I. Calvini petitum sciens prætereo, quod enim Calvinus quærit, *Cur non enumeremus successiones Episcoporum Africæ, AEgypti, & totius Asiæ,* & respondet, *non quia perit ibi sacrosancta illa successio,* ex hypothesi dicit, quod non animadvertens Bellarminus extra scopum vagatur. Planè autem aberrat, cùm dicit eos enumerare seriem episcoporum universalium, qui sunt Romani episcopi, propterea, quòd se illis subjectos esse fatebantur. Quid enim veteres de universali Episcopo senserint, ante ex Gregorio, qui & ipse Romanus Episcopus fuit, docui; annotavi etiam quàm falsum sit, quod dicit veteres confessos esse se Romano Episcopo subjectos esse. Quod autem dicit veteres propter hanc causam fuisse magis de successione Romanorum Pontificum, quàm de sua sollicitos nimia cupido adulandi Papæ illi extorsit. Irenæus enim lib. 3. c. 3. *dicit longum esse omnium Ecclesiarum successiones enumerare, & ob eam causam se maximæ, antiquissimæ & omnibus cognitæ Romanæ Ecclesiæ eam quam habet ab Apostolis, fidem per successiones Episcoporũ venientem indicare, ut confundat contrasentientes.* Recipiat igitur Papa

eam fidem, quam ab Apostolis antiqua Romana Ecclesia accepit, & Papa deseruit, & nos recipiemus eam.

Huc accedit, in Ecclesia græca servari adhuc successiones, & tamen secundum opinionem adversariorum non esse ibi veram Ecclesiam. Ac licet multa dicat adversarius, tamen cogitur fateri, in Constantinopolitana Ecclesia adhuc à Constantini tempore servari istam successionẽ, sed dicit eam non esse ab Apostolis. Verùm contrarium testatur Nicephorus, qui eam à Marco deducit, & adversarius capite præcedente statuit perinde esse, an quis Apostolo, an viro apostolico succedat. Leviculum est, quod dicit eam non dictam esse Apostolicam. Nam & multæ aliæ, quas tamen in scriptura legimus ab Apostolis fundatas esse, non vocatæ sunt Apostolicæ. Quod autem dicit, Patres concilii Constantinopolitani primò eam vocare novellã, ostendit se græcum textum non inspexisse, in eo est νεοπαγῆς, quod patres de liberatione ab hæresi, non de prima fundatione intelligendum esse docent. Hoc argumento motus dixit ex successione non probari Ecclesiam, sed ex defectu successionis probari defectum Ecclesiæ. Bellus homo, si ex successione non probatur Ecclesia, tum illa non est hujus nota, & nos jam antè docuimus, tam posse esse Ecclesiam sine successione, quàm successionem sine Ecclesia. Quod addit græcam Ecclesiam esse hæreseos

In Ecclesia græca est successio

Ex successione non probatur Ecclesia.

Romana est Hæreseos damnata. damnatam, æquè rectè de Romana dici potest. Nam Basiliensi concilio Eugenius hæreseos dãnatus est, & hoc ipsum concilium Eugenius Papa approbravit. Subjungit in Patriarchalibus sedibus sedisse manifestarios hæreticos. Sed meminisse debebat Romæ sedisse, Fœlicem, liberium, Honorium, non tantum manifestarium hæreticum, sed publico judicio à conciliis Oecumenicis, & à Papis Romanis hæreseos damnatum. Magna item causa est, cur veteres allegaverint successionem fidei in Romana Ecclesia, quod constabat eos eo tempore non deseruisse fidem. *In Romana sederũt hæretici.* Neque refert quod adversarius regerit, hoc hæreticos non putasse, etsi enim hoc affirmare noluerunt, non legimus tamen illud ab iis negatum esse, & si negassent, in promptu erat scriptura ex qua convinci poterant. propterea semper addunt successionem in doctrina. Cum Donatistis nobis non convenit, illi enim oppugnabant veram Ecclesiam, nos non oppugnamus veram Ecclesiam sed Papatum. Optatus perstringit Papistas contra Cathedram Petri militantes, dum enim doctrinam, quam Petrus professus est, ferro & igni persequuntur, rectè dicuntur Cathedram Petri oppugnare. Nos ut Potiliani non Cathedram Apostolicam, sed Papalẽ & antichristianã appellamus Cathedram pestilentiæ. Si hoc Bellar. non fert, doceat Petrũ talem doctrinã, talem cultũ, talem tyrannidem exercuisse Romæ, atq ibi nunc à Papa exercetur.

Caput.

CAPUT. VI.

Sexta nota conspiratio in doctrina.

SExta nota est conspiratio in doctrina cùm antiqua Ecclesia. Vera enim Ecclesia dicitur Apostolica, propter *doctrinæ consanguinitatem*, ut inquit Tertull. de præscript. Hanc ob causam Theodosius apud Sozomenũ lib. 7. cap. 12. Iussit principes sectarum convenire, deinde petiit, an existimarent antiquos patres, qui Ecclesiam rexerant ante dissidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rectè consensisse, & verè sanctos & Apostolicos fuisse; quod cum illi consensissent, subjunxit: *Examinemus ergo doctrinam vestram, ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur, sin minus, abjiciatur.* Crediderim ego adversarium vel aliunde hęc referre quã ex Sozomeno, vel memoria lapsũ esse. De Imperatoris enim sentẽtia quæ hic refertur, ne γρῦ quidem est apud Sozomenum. Deinde Sozomenus narrat hoc Sisinnii consilium placuisse quidem Nestorio, & Imperatori, sed de eo non convenisse inter sectarios. Quòd verò ad rem ipsam attinet, existimo bonum consilium fuisse; sed non optimum. Patres enim non semper omnes idem de eadem re dicunt, & interdum à seipsis dissentiunt, infallibile igitur argumentum à Patrum auctoritate in iis dogmatis

An cõspiratio in doctrina sit Ecclesiæ nota.

Theodosius.

Patres & inter se, et sæpe à se ipsis dissentiunt.

gmatis, quæ in Ecclesia controversa sunt, proferri nequit, Rectiùs Constantinus in Concilio Niceno apud Theodoret. lib. 1. c. 7. *habetis sanctissimi Spiritus doctrinā perscriptam. Evangelici n. & Apostolici libri. nec non antiquorum prophetarū oracula planè instruunt nos sensu numinis.* Quin & Augustinus ab auctoritate patrum ad Canonicā scripturam provocat. Epistola 48. ad Vincentiū. *Noli ergo Frater contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive nostrorum, sicut Hilarii, sive antequam pars Donati separaretur.* (Nota & eorum, qui antè separationem scripserunt non esse indubitatam auctoritatem) *ipsius unitatis, sicut Cypriani & Agrippini. Primò quia hoc genus literarum ab auctoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic loquuntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerunt, quàm veritas postulat.* Et ob eam causam sola scriptura vocatur canonica, quia est canon & regula omnium Christianorum dogmatum. Hæc est causa cur eam secundam Ecclesiæ notam esse definiamus. Quod autem adversarius dicit posse proferri veterum sententias, quibus singula papalia dogmata confirmentur, nihil concludit. Nam ille non ignorat, posse & omnia nostra dogmata veterum testimoniis confirmari, & hoc adversarius agnoscit, dicit enim *hunc disputandi modum fore multis objectionibus obnoxiū.* Quod

Vera regula dogmatum.

Augustin.

verò dicit, nos confiteri *papalia dogmata esse doctrinam omnium veterum*, risum movet. Proferat aliquem ex omnibus nostris doctoribus, qui hoc dicat, nisi fecerit, ostendet hanc suam assertionem esse vanam & inanem jactantiam. Ille ut probabiliter saltem ita scribere videatur, allegat, quòd Calvinus scribit. Instit. lib. 2. c. 2. v. 4. *semper apud latinos nomen liberi arbitrii exstitit, apud Græcos verò αὐτεξούσιος vocabulum multò arrogantius*, & v. 8. *Ego verò neque ipse hujus vocem usurpare velim, & alios si me consulant, abstinere optarim.* Hoc argumentum est planè Iesuiticum. Nam & ratione & fronte caret, & ut hoc intelligatur, ascribam ipsa Calvini verba. *Quòd si nos patrum auctoritas movet: illi quidem assiduè in ore habent vocabulum, sed simul declarant, quanti faciant illius usu. In primis Augustinus, qui non dubitat servum appellare.* lib. 1. cont. Iulian. *Alicubi succenset adversus eos, qui liberum negant arbitrium; sed præcipuam rationem declarat, cum ait, tantum ne audeat quisquam sic negare voluntatis arbitrium, ut velit excusare peccatum? At certò alibi fatetur sine spiritu non esse liberam hominis voluntatem, cùm cupiditatibus vincientibus ac vincētibus subdita sit.* Item, *victo vitio, in quod cecidit voluntate, cepisse carere libertate naturam.* Item, *hominem libertate male usum & se & arbitrium perdidisse,* Item, *liberum arbitrium captivatum ne quid possit ad justitiam;* Item, *liberum non fore, quod non*

Ad Calvinus repudi omnes patres.

Calvinus

Augustini sententia de libero arbitrio.

Dei

Dei gratia liberaverit. Item, *Iustitiam Dei non impleri; cùm lex jubet, & homo quasi suis viribus facit; sed cum spiritus adjuvat, & hominis non libera, sed liberata voluntas obsequitur, & horum omnium rationem reddit, cùm scribit, hominem magnas liberi arbitrii vires accepisse, cum conderetur, sed peccando amisisse. Itaque alibi postquam ostendit liberum arbitrium constitui per gratiam, acriter in eos invehitur, qui sibi illud arrogant sine gratia, ut quid ergo inquit miseri homines, aut de libero arbitrio audent superbire, antequam liberentur, aut de suis viribus si jam liberati sunt? Nec attendũt in ipso nõe liberi arbitrii utiq; libertatẽ sonare. Vbi autẽ spiritus Dõini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio? a quo n. quis devictus huic est & servus addictus est. Si autẽ liberati sunt, quid se jactãt velut de opere proprio? An ita liberi sunt, ut nec servi ejus esse velint, qui dicit sine me nihil potestis facere? Quid quod alio etiam loco videtur jocosè eludere usum ejus vocis, cùm dicit, liberum quidem esse arbitrium, sed non liberatum; liberum justitiæ, sed servum peccati. Quam sententiam alibi quoque repetit & explicat, ubi docet liberum à justitia non esse hominem, nisi arbitrio voluntatis, à peccato autem non fieri liberum, nisi gratia salvatoris, qui libertatem hominis nihil aliud esse sibi testatur, quàm emancipationem vel manumissionem à justitia, illius inane nomen videtur belle irridere. Itaque si quis vocis hujus usum non prava intelligentia sibi permittat, per me quidem non*

ve

vexabitur ob eam rē, sed quia sine periculo nō posse retineri censeo, magno contra Ecclesiæ bono si aboleatur: neque ipse usurpare velim, etsi alios, me consulant, abstinere optarim.

Deinde dicit Calvinus. lib. 2. c. 2. v. 8. *Veteres omnes, excepto Augustino. sic in hac aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquuntur, ut certi fere nihil ex ipsorum scriptis referre liceat.* Ego (inquit adversarius) Calvinus omnes veteres excepto Augustino repudiat. Mirabilis logica. Potest enim in hoc dogmate à quibusdam eorum discedere, & tamen in aliis dogmatis cum iisdem sentire. Deinde qui in aliquo dogmate variant, illi possunt quandoque commodè loqui. Et hoc accidit illis Patribus. Non semper enim æquè vehementes sunt in humanis viribus extollendis. Interdum enim omnium bonorum laudem ad unum Deum referunt. Calvinus igitur eos non prorsus repudiat, sed cùm commodè, hoc est scripturæ convenienter loquuntur, recipit eos, cùm verò contra scripturam loquũtur, scripturam illis præfert, & hoc sequenti paragrapho dicit. *Magnum mihi præjudicium attulisse videor, qui scriptores Ecclesiasticos ita ambiguè aut variè in hac re locutos esse confessus sum, ut certum quippiam ex eorum scriptis haberi nequeat. Hoc enim perinde aliqui interpretabuntur, ac si eos à suffragii jure depellere velim, quod mihi adversantur, cùm voluerim piis ingeniis consulere, ne fluctuarent Difficile tamen non est aliquas ex ipsis sententias*

Calvinus dicit patres in doctrina de libero arbitrio varios esse.

tias

tias afferre, quibus totam bonorum operum laudem, Spiritui sancto tribuunt. Et inter cætera affert ex Cypriano, quod est apud Augustinum de prædestinatione sanctorum. *De nullo gloriandum, quia nihil nostrum est, nisi ut homo apud se prorsus exinanitus, à Deo totus pendere discat.* Et ex Chrysostimo hom. 1. in adventu. *Omnis homo non tantùm naturaliter peccator est, sed totus peccator est.* Post hæc dicit. *Possem hujusmodi multa ex aliis referre, sed ne quis cavilletur, me seligere ea, quæ causæ meæ serviunt, quæ autem adversantur, callide præterire, ab hac recitatione abstineo.* Ex his æquus lector judicet, quam verum sit, quod adversarius dicit. *Calvinum confiteri se ex veteribus neminem sequi velle.*

Cyprianus

Chrysostomus

Deinde, & Augustinum (inquit) deserit. lib. enim. 2. cap. 3. v. 7. reprehendit illam Augustini sententiam Ep. 106. *Voluntatem nostram cooperari gratiæ, non ut præviam, sed ut pedissequam.* Sed hoc æquè necessario ex Calvini sententia colligitur, ut illud prius, non enim qui alicujus auctoris unicum dictum reprehendit, totum auctorem deserit. Deinde non Augustinum, sed Lombardum reprehendit Calvinus. Aug. inquiens ad Bonifacium ep. 106. *Omne bonum opus gratia præcedit, & id comitante, pedissequa, non prævia voluntate. Quod non malè à sancto viro dictum præpostere detorquet Lombardus.* Et. *Quatenus à gratia prævenitur, in eo, ut pedissequam appelles; permitto.* Ex his judicet, æquus lector, quam

Dispensatio papa

AEcolampadium ridens ridēdus.

candidè

candidè adversarius Calvinum tractet. Cæterũ Augustini mens est, reformatam voluntatem esse opus Dei, & quod prævenienti gratiæ pedissequa obsequitur, etiam esse opus Dei. Lombardus autem hoc aliqua ex parte homini tribuit. Esse autem illam Augustini sententiam ibidem Calvinus ex Augustino docet. Et ad eam rem affert has sententias ex Augustino. *Arbitrium sic adjuvatur, ut non solùm, quid faciendũ sit, sciat, sed quod sciverit, etiam faciat. Atque ita cùm Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendóque perficiat.* Ex his manifestum est, falsum esse, quod dicit Calvinum cõfiteri se toti antiquitati adversari.

Libro 2. institut. c. 14. v. 3. *Excusari* inquit, *non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Iohannis legitur, jejunum observant sensum, seque implicant multis laqueis.* Docet hoc loco Calvinus filium Dei subjectum esse patri ratione Deitatis, & quia omnes veteres contrarium docent, ipse ait omnes veteres errare, & errorem eorum esse inexcusabilem. *Phrases de Christo Mediatore*

Crassa columnia. Tantùm dicit Calvinus, nomina officii competere Christo secundum utramq; naturam. Ejus verba hæc sunt, *Sit nobis hæc rectæ intelligentiæ clavis, neque de natura divina, neque de humana simpliciter dici, quæ ad Me-*

diatoris officium spectant. De subjectione Christi ratione Deitatis nullum verbum.

Limbus. Lib. 2.c.16.v.9. *Fabula* inquit *de loco subterraneo, qui dicitur Limbus, tametsi magnos auctores habet, tamen nihil aliud quam fabula est.* Antiquos Patres vocat magnos auctores, nam scholasticos solet sophistas vocare.

Quod hominibus furiosis accidere solet, hoc accidit Bellarmino. Iacit in Calvinum, quicquid ad manum est, neque considerat an eum feriat. Quæ enim est hæc consequentia? Deinde non potest hic omnes Patres intelligere. Omnes enim non probant hunc Limbum, & esse Patres, apud quos quædam fabulosa reperiantur, ne ipse quidem Bellarminus negaverit.

Concupiscentia. Lib. 3.c.3. vers. 10. *Ab uno Augustino sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere volunt. Porrò inter illum & nos, hoc discriminis haberi potest, quòd ipse morbum concupiscentiæ, tum demum peccatum fieri docet, cùm appetitioni cedit voluntas: nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quòd aliqua omnino cupiditate homo cõtra legem Dei titillatur, imò ipsam pravitatem, quæ hujusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum.* Hic apertè fatetur se omnibus Patribus esse contrarium, atque ipsi etiam Augustino.

Doleo virum doctum tam pronum esse in calumnias, equidem majorem fidem apud me inveniret, si ea quæ rectè dicta sunt, non tam ca-

lumni-

lumniosè perverteret. Quid enim aliud efficit, quàm ut etiam tum, cùm verum dicit, nobis ipsius oratio sit suspecta? Disertè enim scribit Calvinus, *Omnes sanioris judicii scriptores inter se consentiunt, manere in regenerato Mali fomitem, unde perpetuo scateant cupiditates, quæ ipsum ad peccandum illiceant, neque opus est multum investigando laborare, quid hic veteres senserint, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnáque diligentia omnium sententias collegit.* Deinde vocem (uno) ut columniam probet, de suo apposuit. Non enim dicit Calvinus ab uno Augustino sumendum esse, sed *unum Augustinum sufficere ad ostendendum, quæ sit veterum de hac re sententia.* Neque plane rejicit sententiam Augustini, sed dicit eum vocare concupiscentiam infirmitatem, peccatum autem vocare non audere, quod de iis locis (quæ Calvinus notat) tantùm intelligi debet. Nam aliis locis peccatum vocat, neq; hoc ignoravit Calvinus, paulò enim post subjungit, *Neque tamen semper à peccati nomine abstinet, sicuti cùm dicit.* Serm. 6. de verb. Apost. *Hoc peccati nomine appellat Paulus, inde oriuntur cuncta peccata in carnalem concupiscentiam. Hoc quantum ad sanctos pertinet, regnum amittit in terra, perit in cœlo.* Libro. 3. c. 4. vers. 38. *video* inquit, *eorum nonnullos, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè, & durè locutos, sed non concedam eos ipsos adeò fuisse rudes & imperitos, ut eo sensu ista scripserint, quo à novis istis satisfactionariis le-* Satisfactio.

guntur. Vide, dicit eos aut lapsos, aut durè locutos esse, & concludit eos non eo sensu ista scripsisse, quo ab adversariis accipiuntur, idque probat ex eo quod Chrysost. hom. 2. in Psalm. 50. *Ubi misericordia*, inquit, *postulatur, judicium non sævit, ubi misericordia petitur, pœna locus non est, ubi misericordia, quæstio nulla, ubi misericordia, condonata responsio.* Augustinus lib. de dogmatis Ecclesiasticis cap. 54. *Pœnitentiæ*, inquit, *satisfactio est causas peccatorũ excidere, nec eorum suggestionibus animum indulgere.* Et Chrysostom. hom. 10. in Gen. inquit, *Eum nihil à nobis ultra requirere, quàm ut delicta nostra cum lachrymis apud se fateamur.* Et Augustinus Enchirid. ad Laurent. *Caro*, inquit, *Christi verum est & unicum pro peccatis sacrificium, non modo iis, quæ universa in Baptismate delentur, sed quæ posteà ex infirmitate subrepunt, propter quæ universa quotidie clamat Ecclesia; Remitte nobis debita nostra. Et remittuntur per singulare illud sacrificium.* Torqueat hæc dicta Iesuita, ut volet, nunquam tamen conciliaverit ea cum Papisticis satisfactionibus. Eodem modo libro tertio cap. 5. vers. 10. *Quum ergo*, inquit, *mihi objiciunt adversarii, ante mille & trecentos annos usu receptum fuisse, ut precationes fierent pro defunctis, eos vicissim interrogo, quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum sit?* Quod Calvinus sibi adversariorum persona objicit, & rectè refutat, hoc scilicet ipsius sententia esse Iesuiticè colligitur. Libro. 3. c. 15.

Oratio pro mortuis.

vers.

vers. 2. docet veteres sine causa non debuisse voces à scripturis alienas usurpare, & posteris erroris materiam præbere. Addit veteres omnem operibus nostris merendi opinionem detrahere, idque probat ex Augustino, qui in psalm. 139. *Meritis suis*, inquit, *nihil tribuunt sancti, totum non nisi misericordiæ tuæ tribuunt ô Deus.* Et in psalm. 88. *Cum viderit homo, quicquid boni habet, se non habere à se, sed à Deo suo, videt id totum, quod in eo laudatur, non de suis meritis, sed de Dei misericordia esse.* Et ex Chrysostomo, hom. 23. in Genes. *Nostra si qua sequūtur Dei gratuitam Iustificationem opera, retributio sunt & debitum, at Dei munera, gratia & beneficentia, & largitionis magnitudo.* Ex quibus apparet eos aut sibi non constare aut Meritum longè alia significatione accepisse, atque nunc ab adversariis nostris accipitur.

Iustitia meritoria.

Libro 4. cap. 4. vers. 10. *Tantum*, inquit, *peccatum hic nonnihil immodica severitate, quod plus requirere voluerunt in Episcopo, quàm Paulus requirat: ac præsertim successu temporis Cælibatum.* Dixerit hoc sanè Calvinus. Annon idem ante multa secula in cōcilio Niceno dixit Paphnutius? quid quæso aliud est quod inquit AEneas Sylvius *magna de causa sacerdotibus ablatas esse nuptias, sed majori restituendas.* Deinde annon ipsa res clamat verum esse, quod Calvinus dicit? Paulus enim ad Timotheum & Titum, ubi qualis Episcopus esse debeat, ostendit, docet eum

Cælibatus.

debere *unius uxoris virum esse.* Ab hac lege recessit sanè subsequens seculum, quod Episcopis conjugio interdixit. Sed longiùs aberravit Papa Romanus, qui jure Papali sancivit presbyterum, qui non habet uxorem, ejus loco concubinam habere DEBERE, distinct. 34. c. Is ergò.

Pœnitẽtia quinque vel sex annorum.

Libro 4. cap. 12. vers. 8. Scribit sanè Calvinus, *nullo modo excusari potest immodica Veterum austeritas, quæ & prorsus à Domini præscripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa. Nam cùm peccatori pœnitentiam solennem & privationem à sacra communione nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicerent. Quid inde sequi potuit, nisi vel magna hypocrisis, vel maxima desperatio?* Nonne idem scribit Paulus, 2. Cor. 2. 7. *Sufficit istiusmodi homini ista objurgatio à pluribus profecta. Ut è contrario potius vos ei condonetis, eúmque consolemini, ne quo modo redundante tristitia absorbeatur vir hujusmodi.* Crediderim adversarium tam manifesta scriptura motum illa ultima verba, *nunc in totam vitam indicerent. Quid inde sequi potuit, nisi vel magna hypocrisis vel maxima desperatio,* reticuisse, ut nobis Iesuiticum candorẽ probaret. Deinde omnes veteres vel non consensisse in hanc austeritatem, vel sibi non constitisse docet Calvinus eodem loco. Affert enim quod Cyprianus lib. 1. Ep. 3. ad Cornelium scribit. *Patientia & facilitas, & humanitas nostra venientibus præsto sunt, Opto omnes in Ecclesiam regredi: opto omnes cõmili-*

militones nostros intra Christi castra, & Dei patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo, studio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno jure examino; delictis plusquam oportet dimittendis pœne ipse delinquo, amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici confitentes. Chrysostom. *Si Deus,* inquit, *tam benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus vult videri?* Scimus prætereà, inquit Calvinus, *qua facilitate usus sit Augustinus erga Donatistas, ut non dubitaverit in Episcopatum recipere, qui à schismate redierant, idque statim post resipiscentiam.* Ex hac nuda & simplici narratione constat, quàm sit impudens & plus quàm Iesuitica illa nota, qua dicit Calvino ita videri hoc asperum, *quia ipse putat per fidem ita justificari hominem, ut nihil pœnæ luendum restet; quod si verum esset, rectissimè accusaret omnes veteres, proinde sequitur sententiam nostram de pœna remanente post remissionem culpæ, judicio Calvini sententiam esse omnium veterum.* Nam neque Calvinus omnes veteres accusat, neque omnes veteres hoc dicunt. Et qui hoc dicunt aliis locis contrarium asserunt. Rem ipsam docet Christus, qui ad latronem resipiscentem dicebat, *Hodiè mecum eris in paradyso* ac licet totam vitam multis sceleribus polluisset, & extrema demum vita cõverteretur, tamen non legimus Christum post remissionem culpæ ab eo quicquam pœnæ exe-

gisse. Quid autem sacerdos vult esse austerus, cùm Dominus ipse se nobis tam benignum præbet?

Libro 4. cap. 12. vers. 19. *Quia in parte, non in totum audeo excusare veteres, quum & superstitionis quædam semina jecerint, & occasionem præbuerint tyrannidi, quæ postea exorta est. Occurrunt quidem interdum sanæ & prudentes de jejunio sententiæ: sed postea occurrunt subinde immodicæ jejunii laudes, quæ ipsum inter præcipuas virtutes extollunt.* vers. 20. *Et tunc passim invaluerat superstitiosa quadragesimæ observatio: quia & vulgus eximium aliquod obsequium Deo se in eo præstare existimabant, & pastores eam commendabant, pro sancta Christi imitatione: quum planum sit Christum non ideo jejunasse, ut aliis exemplum præscriberet: sed ut Euangelii prædicationem sic auspicando non humanam doctrinam esse, sed de cœlo profectam re ipsa comprobaret.* Quid potest hac admonitione modestius, quid hac doctrina gravius excogitari? Non reprehendit autem in universum, quicquid patres de hac re scripserunt, dicit enim, *Occurrunt interdum sanæ & prudentes de jejunio sententiæ,* quod callidè omittit adversarius, ut imperito Lectori persuaderet, Calvinum contra totam vetustatem niti. Deinde reddit causam quare Christus quadraginta dies jejunaverit, & quòd nos eum in hac re imitari neque possimus, neque etiam debeamus. disertè enim dicit, Christum hoc fecisse, *non ut*

Iejunium

Quadragesima.

jeum

eum hac in re imitemur, sed ut suæ Doctrinæ hoc miraculo fidem faceret, quod item callidè omisit adversarius. Cùm tamen hoc ita se habeat, rectè infert Calvinus. *Fuit igitur mera κακοζηλία & superstitionis plena, quod titulo ac colore imitationis Christi, jejunium ornabant.* Cedo quid hic Calvinus dixit quod sacris litteris adversatur? Deinde ostendit quàm fluxa & varia fuerit veterum de hac re opinio, & docet ex Socrate atque Cassiodoro, *Romanos non nisi tres hebdomadas habuisse atq; illis continuũ fuisse jejunũ, excepto die Dominico & Sabbatho. Illyricos & Græcos sex, alios septem, sed jejunium per intervalla, nec minus in ciborum discrimine dissidere, alios enim non nisi pane & aqua vesci solitos, alios addidisse olera, alios à piscib. & volatilibus non abhorruisse, alios nullũ habuisse in cibis discrimen.* Ego addo ex Euseb. l. 5. hist. c. 26. *quosdam jejunasse unum diem, quosdam duos vel plures, quosdam quadraginta horas diurnas & nocturnas.* Ex Augustin *Quibus diebus non oporteat jejunare, & quib. dieb. oporteat, præcepto Domini, non video definitũ.* Et ex Tertull. de jejun. *Iejuniũ esse ex arbitrio, non ex imperio.* Vt manifestũ sit rem totam antiquitus fuisse liberam, quæ nunc tam rigidè exigitur.

Libro 4. cap. 12. vers. 13. *Quod sacerdotibus interdictum est conjugium, id factum est impia tyrannide.* Hoc verum esse confitemur, subjungit Bellarminus. Quando autem fuerit interdictum, notat ipse in margine ponẽs. *Syricius in* *Papa interdixit sacerdotibus conjugio.* *Syricius.*

Epistola ad Episcopos Hispaniæ. Porrò Syricius ante mille ducentos annos sedit. Sed Calvinus hoc loco Syricium Cælibatus auctorem non nominat. Fuerit tamen ille, & vixerit ante mille ducentos annos, Num hæc vetustas veritati præjudicabit? Quid enim? estne Paulus antiquior auctor? Atqui ille dicit in 1. ad Timoth. 3.2. & ad Titum 1.6. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, qui suæ domui benè præsit, qui liberos contineat in subjectione cum omni honestate.* Si adhuc oblatras Syricium vixisse antè mille ducentos annos, regero Paulum vixisse ante mille sexcentos, interdictum igitur est recentius, quàm mandatum de præsbyterorum conjugio, eat nunc & jactet contra nos antiquitatem.

Episcopus unius uxoris vir.

Ibidem, *Hæc*, inquit, *quæ videbantur reverentiam sacerdotio conciliare, magno applausu etiam antiquitus recepta esse fateor.* Scilicet isto seculo, quo Syricius vixit, & posteà, sed hoc est Pauli seculo recentius, ut jam ostensum est. Deinde licet magno applausu recepta sint; non esse tamen ab omnibus recepta, testantur ista certamina, quæ hoc & sequentibus temporibus, ob ministrorum cælibatum concitata sunt.

Libro 4. cap.15. vers. 20. *Quod multis abhinc seculis, adeóque ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum video, Ut in periculo mortis Laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset, non video quàm firma ratione possit defendi.* Hac admonitione

Baptismus per Laicū administratus.

tione quid poteſt eſſe modeſtius? ſi ſcriptura nobis norma eſt, & regula omnium dogmatum. Corruet hæc baptizandi ratio. Chriſtus enim certo hominum generi, non omnibus promiſcuè baptizandi munus commiſit. Et ſemper tenendum eſt, errorem, quantumvis vetuſtus ſit, tamen eſſe errorem.

Lib.4.18.21. *Excuſari non poſſe arbitror veteres, quin aliquid in actionis modum peccaverint: imitati ſunt enim Judaicum ſacrificandi morem magis, quàm aut ordinaverit Chriſtus, aut Euangelii ratio ſinebat.* Locus exſtat verſ.11. Non oppugnat Calvinus veterum ſententiam, ſed adminiſtrandi modum. Diſertè enim dicit. *Equidem cùm pium atque orthodoxum de hoc myſterio ſenſum retinuiſſe eos videam, neque deprehendam voluiſſe unico Domini ſacrificio vel minimum derogare, ullius impietatis dãnare eos non ſuſtineo. Excuſari tamen non poſſe arbitror, &c.* Si hæc candidus lector cõferet cum propoſitione Bellarmini, videbit pluſquam Jeſuiticã vanitatem. Propoſuit oſtendere *noſtra dogmata* (intellige dogmata papiſtica) *adverſariorum*, id eſt, proteſtantium *confeſſione eſſe doctrinam omnium veterum.* Hanc theſin, ſive propoſitionem ut probaret, docet Calvino diſplicere vocem MERITUM. & ἀυθεξέσιος, & tamen confiteri Calvinũ quoſdam Veteres de utroque, quod ad rem ipſam attinet, non malè ſentire, & ſcribere. Eundemq; reprehendere Lombardum, Auguſtini ſenten-

Antiquus modus ad miniſtrãdi ſ. cœnã

sententiam in alienum sensum detorquentem, addere quosdam patres non commodè explicare istas phrases, quę ad officium Mediatoris pertinent. Denique notare fabulam de limbo, & quod quidam veteres concupiscentiam, quæ in nobis superest, quandoque non appellant peccatum, licet eam aliis locis peccatum esse dicant. Item quòd quidam de satisfactione Ecclesiastica asperè locuti sunt, & cœlibatum sacerdotum approbaverint & nimis hyperbolicè de jejunii dignitate loquantur. Denique dicere se non videre, quomodo firma ratione defendi possit baptismus Laicorum tempore necessitatis, & quòd veteres in modo administrandi cœnam, plus æquo Iudaicum sacrificandi ritum secuti sint. Hincne aliquis intulerit, omnia dogmata papistica, etiam Calvini confessione esse doctrinam omnium veterum? Atqui his locis fere de phrasibus, & iis rebus quæ ad salutem necessariæ non sunt, sed tantùm ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, disseritur. De primatu verò Romanæ sedis, de imperfectione scripturæ, de traditionibus, de invocatione sanctorum, de cultu imaginum, reliquiarum, de justificatione per nostra opera, de Missa, de quinque falsò nominatis sacramentis, & similibus dogmatis papisticis ne unum quidem verbum omnibus illis locis, quæ ex Calvino adduxit. Et tamen audebit dicere omnia papistica dogmata, etiam Calvini testimonio esse doctrinam omnium veterũ

Post Calvinum affert quædam ex centuriis Magdeburgensibus, quibus eandem thesin probat. Ac primùm in 2. Centuria cap. 4. Columna 59, *Eodem modo*, inquiunt, *Clemens Liberum arbitrium ubique asserit, ut appareat in hujusmodi tenebris, non tantùm fuisse omnes ejus seculi doctores; Verùm etiam in posterioribus eas subinde crevisse & auctas esse.* Hoc argumentandi genus est admodum ineptum. Etsi enim centuriatores id dicunt, tamen inde non potest inferri, nos omnes ita dicere. Potest enim fieri ut in tam vasto opere illis quandoque somnus obrepserit. Deinde quæ est illa consequentia? Centuriatores dicunt patres hujus seculi fuisse in tenebris, hoc est, non rectè explicasse doctrinam de libero arbitrio. Ergò consentiunt cum papistis. Quis enim unquam apud ullum patrem legit *Hominem ex puris naturalibus posse Deum diligere supra omnia.* quod docet Biel. 3. sentent. dist. 27. Quis, inquam ex iis omnibus docuit *hominem solis naturæ viribus, sine gratia & auxilio spiritus sancti posse opera Dei placentia præstare?* quod affirmat Andradius lib. 3. *Vel hominem ante regenerationem posse ex congruo mereri infusionem gratiæ?* Quod item tenet Biel. lib. 2. sentent. distinct. 27. & Eccius Enchirid. de libero arbitrio. Multò autem ineptius est dicere, patres hujus seculi in tenebris fuerunt: cœcutiverunt igitur omnes, qui omnibus seculis vixerunt. Nam antequam Pelagius virus suum spargeret,

Centuriæ Magdeburgenses.

Liberum arbitrium

Papistarũ liberum arbitrium.

Pelagius.

geret, non ita accuratè semper locuti sunt patres, ut par fuit, quamquam multis locis veram sententiam commodè explicant, ut paulò ante ex Calvino docui, & prolixiùs docebo, cùm de libero arbitrio disputavero. Cùm verò Pelagius, quæ ambiguè à patribus dicta erant, in malam sententiam detorqueret, excitavit Deus Augustinum, & multos alios, qui doctrinam de libero arbitrio rectè & perspicuè enodarunt.

Iustificatio. Columna 60. *Doctrina,* inquiunt, *de justificatione negligentius & obscurius ab his doctoribus tradita est, videlicet, non docet nos sola fide justificari.* Quid tum? docuerunt tamen id ferè omnes patres subsequentes, ut paulò ante illorum verbis demonstravi. Deinde hæc verba, *videlicet non docent; nos justificari sola fide*, non sunt Centuriatorum. Crediderim esse adversarii illationem, quam typographus contra mentem auctoris eodem tenore cum verbis Centuriatorum descripsit. Quare enim non candidè, vel typographiæ, vel memoriæ lapsum contra virum doctũ interpretarer?

Invocatio sanctorũ. Centuria 3. cap. 4. Col. 83. *Videas,* inquiunt, *in doctorum hujus seculi scriptis, non obscura vestigia invocationis sanctorum.* Num hoc est mirum? Nónne Paulus dicit Antichristum jam suo seculo incipere *mysterium iniquitatis operari*? Deinde quantum distant hæc vestigia à furoribus papisticis, quibus dicunt ad divam Virginem, *Adsis mihi, ne desperatione succumbam mortis in agone,*

agone, cum NULLA SPES EST ALTERA, *Nisi tu virgo puerpera, Patris parens & filia. Cui me reconcilia.* In antidotario, Oratione, O Clementissima. Deinde quàm ineptum dictu est. quidam patres ejus seculi jecerunt semina invocationis sanctorum. Ergo omnes patres in doctrina de invocatione sanctorum sentiunt cum papistis. Præterea annon Eusebius lib. 4. Histor. c. 15. ex communi omnium Christianorum sententia dicit, *Ignorant miserrimi Iudæi, qui Polycarpi corpus negant nobis reddendum, ne eum colere incipiamus, quòd nos neque Christum nunquam relinquere possumus, qui passus est pro servandis omnibus in mundo, neque alium quempiam colere.* Annon Lactantius lib. 2. c. 18. dicit eos, *qui mortuis supplicant, impietatis & sceleris sui supplicia pensuros?* Epiphanius hæresi 79. contra Collyridianos, *Virgo erat ipsa Maria & honorata, sed non adorationem nobis data.* Et, *neque Helias adorãdus est, etiamsi in vivis sit, neque Iohannes adorandus, neque quispiam sanctus adorandus.* Augustinus Epistola 44. *Ne te hoc lateat, & in sacrilega convitia imprudentem trahat. Scias à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum.* Et de vera religione cap. 55. *Honorandi* (Martyres) *propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Et de Civitat. Dei lib. 8. c. 27. *Martyribus neque templa, neque sacrificia constituimus, non colimus mortuos in sepulchris, nec martyres nostros divinis honoribus colimus.* Num adhuc dicit Bellarminus

nus omnes patres consentire cum papistis in doctrina de invocatione mortuorum?

Martyriū. Colum. 85. *Martyrium*, inquiunt, *immodicè extulerunt omnes hujus ætatis doctores*. quibus addit Bellarminus. *Nolunt enim Lutherani esse Martyrium genus quoddam baptismi, aut nullo modo expiari peccata per martyrium.* Lutherani non negant Martyrium esse quoddam genus baptismi, legunt enim apud Marcum, c. 10. vers. 38. *potestis poculum, quod ego bibi, bibere? & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* tantùm negant iis peccata nostra expiari, in quo sacram scripturam & veteris doctrinæ Ecclesiam sequuntur. Sic enim ex scriptura inquit Augustinus contra Iulianum lib. 2. *Nemo tollit peccata mundi, nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi.* Idem, *nullius Martyris sanguinem in remissionem peccatorum fusum dicit. Hoc enim solius Christi opus est.* Ex Centuria quarta repetit quædam de invocatione mortuorum, & ex Centuria quinta de libero arbitrio, ad quæ non necesse habeo respondere, quantum enim ad strophas has diluendas satis est, respondi. Tantùm libet asscribere, quod annotat ex quinta Centuria Coll. 500. *Etiamsi*, inquiunt, *interdum benè, & sanè videntur loqui, tamen tandem liberum arbitrium in rebus etiam spiritualibus, in ipsa conversione statuunt*, ut cognoscas candorem monachi hinc colligentis omnes veteres in omnibus dogmatis cum papistis consentire,

Liberum arbitrium.

&

& à nobis dissentire. Tandem dicit centuriatores citare multa dicta veterum, quibus asserunt opera nostra esse meritoria, sed quia locum non ascripsit, non judico necesse esse, ut quicquam respondeam. Suo enim loco de hac re ex professo agetur. Locus Tertulliani bene allegari potest contra hæreticos, qui vel eo seculo, vel antè illud fuerunt. Tum enim Ecclesia doctrinam Apostolicam, quoad substantiam, adhuc integrè retinebat, si verò quis eundem locum nunc allegare vellet contra eos, qui hoc seculo non ab Ecclesia Rom. veteri, sed à moderna Romana; neque à sacra scriptura; sed ab erroribus Papalibus dissentiunt, ille & Tertulliano injuriam faceret, & vel pueris ludibrium deberet. Moderna enim Romana in doctrina, cultu, disciplina & gubernatiõe Ecclesiastica, tam procul recessit à veteri Romana, ut Tertullianus, si revivisceret, eam non agnosceret. *Tertull.*

Progreditur nunc adversarius & allegat viginti hæreses à prisca Ecclesia damnatas, easque dicit à nostris doctoribus renovari, & propugnari, ut ostendat nostram doctrinam ex damnatis hæresibus esse conflatam. *An protestantium doctrina ex damnatis hæresibus conflata sit?*

Primo loco dicit *Simonianos docuisse homines salvari per gratiam Simonis, quem etiam Deum faciebant.* Addit *Eunomianos docuisse, homines per fidem, justificari etiamsi in peccatis perseverent & moriantur, utrumque autem docere Lutheranos.* Verùm ô Bellarmine, his artibus nos non *Simoniani*

movemur, agnoſcimus enim vos, cum hæc dicitis, loqui ex patre veſtro, qui eſt mendax, & cùm mendacium loquitur, de ſuo loquitur. Non enim docemus nos per gratiam Simonis, ſed per gratiam Ieſu Chriſti juſtificari; neque docemus eos, qui in peccatis perſeverant, & moriuntur, juſtificari, ſed reſipiſcentiā eſſe indiſſolubili nexu cum juſtificatione junctam, neque quemquam poſſe ad vitam æternam pervenire, niſi in hac vita priùs reſipiſcat, & revera regeneretur. Fatetur hoc ipſum Bellarminus lib. 3. de juſtificatione, & hoc eodem loco, ubi docet, noſtros docere, *opera eſſe neceſſaria ut effecta fidei*, quod ipſum & Lutherus docuit. Sed ita decuit Antichriſti ſatellitem ſanam doctrinam allatrare, ut ſibi ad Cardinalatum aditum pararet.

An Lutherani doceant nos per Simonis magi gratiam justificari?

An Lutherani doceant eos, qui in peccatis perſeverant & moriuntur per fidem juſtificari?

Secundò. Florini docent *Deum eſſe cauſam peccati. Idem autem docet Lutherus, Martyr, Melancthon.* Mirum, quòd Calvinum prætereat. Atque hoc falſum eſt ut illud prius, nuſquā enim vel Calvinus, vel Martyr vel Lutherus, vel Melancthon hoc dixit, oſtendat Bellarminus librum, annotet paginam, locum & tempus quo liber editus ſit, aut eum mendacem & maledicum calumniatorem eſſe coram toto mundo proclamamus. Tantùm docuerunt Deum omnes actiones noſtras, etiam malas regere ſua providentia, neque ullum peccatum eo nolente & invito fieri poſſe, & otioſam illam, quam aliqui ſtatuunt, permiſsionem, ut à Dei natura

Florini.

An Lutherus doceat Deum eſſe cauſā peccati?

discrepantem, ex sacra scriptura reprobarunt. Origenes dicit, *Adam perdidisse imaginem Dei, ad quam creatus fuerat. Idem docet Calvinus.* Sed & hoc falsum est. Tantùm docet imaginem Dei in homine corruptam esse, non prorsus ablatã. Porrò Origenes dicit *Infernum nihil aliud esse, quàm conscientiæ horrorem. Atque hoc ipsum docuit Calvinus.* Falsum, Calvinus enim disertè docet, præter hos terrores conscientiæ, esse locum quendam, ubi damnati puniantur, quod negabat Origenes.

Originiani.

An Calvinus doceat hominem prorsus perdidisse imaginem Dei?

An Calvinus neget infernum?

Proclus dicit, *Peccatum in Renatis semper vivere, & concupiscentiam esse peccatum, quod & Messaliani docuerunt. Sed hæc est ipsissima sententia Lutheri, Melancthonis & Calvini.* Quæ fuerit Procli sententia, non moramur. Tantùm dicimus cum Paulo ad Romanos capite septimo, v. 7. *peccatum esse concupiscentiam, & hominem regeneratum mente servire legi Dei, Carne verò legi peccati,* quod fieri non potest nisi peccatum in eo vivat, vivit igitur peccatũ in regeneratis, non regnat. Nota duobus modis dici posse, peccatum in homine vivere, uno, cùm coercetur vi Spiritus sancti, non tamen prorsus extinguitur, antequam homo à corpore hujus mortis liberatur. Altero, dum in homine regnat: de illo vitæ genere loquitur Lutherus, Melancthon, Calvinus, & ante illos Apostolus Paulus. Novatiani dicunt *non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi homines cum Deo, nisi per baptismum, & bap-*

Proclus.

An Lutherus dicat peccatum in Renatis semper vivere?

Novatiani.

tizatos non debere ab Episcopo Chrismate inungi, quæ est sententia Calvini & Lutheri. Falsum. Non negant nostri lapsis pænitentiam, quod faciebat Novatus, sed negant pænitentiam, prout nunc à Papistis usurpatur, esse novum sacramentum. Chrismatis quidem unctionem rejiciunt, ut quę à Christo in scriptura mandata non est.

An protestantes negent pænitentiam?

Sabellius dicit *unam tantùm esse personam in Deo, non tres. Idem docuit Michael Servetus.* Nugæ. Num Servetus Calvinista est? quis eum stertentibus & dormientibus Papistis, ex quibus egressus erat, acriùs refutavit, quàm Calvinus?

Sabellius.

Servetus.

Manichæi *damnabant hominis naturam, & auferebant liberum arbitrium. Idem facit Lutherus & Calvinus.* Nugæ, Lutherus enim & Calvinus non damnant hominis naturam, neque liberum arbitrium auferunt, sed rectè docent ex Dei verbo, quid & quantum posſit homo per liberum arbitrium. Porrò *Manichæi accusabant patres veteris Testamenti, eósque* (si benè memini) *damnabant ut malos.* Idem facit Calvinus. Falsum, non accusat, neque damnat eos, ut malos, sed docet eos, quandoque peccasse ut homines, atque hoc ipsum auctoritate scripturæ probat.

Manichæi.

Num Lutherus dãnet hominis naturam.

An Calvinus dãnet patres veteris Testamenti?

Donatistæ docebant *Ecclesiam ex solis justis cõstare,* iidem *fregerunt altaria, Eucharistiam objiciebant Canibus, sacrum Chrisma projiciebant, oderant Monachos, inprimis Papam Romanum, dicebant*

Donatistæ

bant Ecclesiam visibilem de mundo periisse, & Cathedram Romanam esse Cathedram pestilentiæ. Sed nihil tam crudeliter dixerunt & fecerunt Danatistæ, quod non multò crudeliùs dixerint & fecerint Lutherani. Hæc ferè omnia inepta. Calvinus enim non simpliciter dicit Ecclesiam ex solis justis constare, sed eam secundum Dei verbum distinguit, quin multis locis affirmat Ecclesiam militantem visibilem ex bonis & malis simul constare, neque unquam dixit Ecclesiam visibilem periisse de mundo, latuisse dicit, non periisse. Fortasse latere Bellarmino idem est, quod perire. Monachos non odit, sed docuit eos non magis similes esse veteribus Monachis, quàm Papam Petro, addit omnia illa Monachorum agmina esse contra Dei verbum excogitata, neque Cathedram Romanam, quæ fuit tempore Donati, sed quæ nunc est, vocat Cathedram pestilentiæ. Surio per omnia non credimus, neque toti Ecclesiæ imputari debet, si furiosus miles aliquid crudeliter fecit. Perpendat adversarius, multos à suis in ignem abjectos esse, nullam aliam ob causam, quàm quòd sacram scripturam legissent, & quod crudelius est, ipsum librum, quo sacra scriptura continebatur, unà cum miseris hominibus combustũ esse. Si quisquam Eucharistiam in ignem conjecit, non probamus. Crediderim tamen adversarium hic intelligere numen crustaceum, quod ab iis in sacrario asservatur. Si hoc tantum scelus est, ut

An Calvinus doceat Ecclesiam ex solis justis cõstare?

An dicat Ecclesiam periisse?

Surius.

Gregorius conjecit panem sacrum in ignem. innuit Bellarminus, condemnet prius Gregorium septimum, quem idipsum fecisse scribit Benno, ut homo necromanticus inde disceret eventum belli, contra Henricum Imperatorem suscepti.

Arrius. Arrius dicit *Filium Dei esse patre minorem, & rejicit omnes traditiones non scriptas, utrumque docent Calvinus, Melanchthon, Lutherus,* hoc apertè, illud non apertè, etsi enim fatentur Arrium esse hæreticum, tamen quędam scripserunt, ex quibus Arriani moderni sumunt occasionem errandi. Ridiculè. Non rejiciunt omnes traditiones, sed eas tantùm, quæ cum sacra scriptura pugnant, cæteras distinguunt in utiles, sive necessarias, & inutiles, sive non necessarias, illas sanctè observant, ad has neminem astringunt. Filium verò Dei dicunt esse verum Deum, Patri & Spiritui sancto coessentialem, & coęternum, neque præstare possunt quod aliqui, ea, quæ illi bene scripserunt, detorqueant, atque ex illis errandi occasionem sumant; neque hoc est novum. Idē enim & Christo & Apostolis, & verbo Dei accidit, non sua culpa, sed eorum qui ea, quæ bene dicta sunt, malè intelligunt.

An Lutherus fuerit Arianus?

An Lutherus rejiciat omnes traditiones.

An Lutherus neget filium Dei esse patri consubstantialem.

Aeriani. Aeriani docuerunt *non esse orandum pro mortuis. Iejunia debere esse libera, & Episcopum non differre à Presbytero. Idem docent Lutherani & Calvinistæ.* Rectè, Et si nihil aliud docuit Aerius, immeritò inter hæreticos numeratur. Hæc enim omnia docet sacra scriptura, & ferè omnes Patres.

Cre-

Crediderim Theodoretum, in lib. de fabulis Iudęorum, & historiam Ecclesiasticam eum propterea inter hæreticos non numerare. equidem non legimus eum ab ullo concilio esse hæreseos damnatum.

Iovinianus dicit 1. *hominem postquam baptizatus est, non posse peccare.* 2. *negat, delectum ciborum, & jejunia esse meritoria.* 3. *asserit (conjugium esse dignitate & merito æquale virginitati.* 4. *præmia beatorum esse paria.* 5. *& Mariam in partu amisisse virginitatem.* Addit *Calvinum docere primum hunc errorem.* Falsum, Calvinus fatetur & conqueritur hominem, postquam baptizatus est, sæpenumero peccare, sed negat hominem fide justificante donatum, posse finaliter excidere, vel fidem prorsus amittere. Secundum errorem tribuit eidem Calvino. Tertium Bucero, sed hæc duo dogmata sunt verbo Dei expressa. Quartū tribuit Luthero, sed mentem Lutheri non percepit. Fatetur enim Lutherus præmia piorum in futura vita, esse inæqualia, docet item justitiam inhęrentem in nobis esse inæqualem, sed justitiam imputatam, qua scilicet coram Dei judicio absolvimur, esse non tantùm æqualem, sed omnium salvandorum unam & eandem. Atque hoc ipsum docet Paulus, Rom. 5. 18. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituti sunt multi.* Quintam tribuit Bucero, & Molinæo, non rectè, non enim negat Bucerus Mariā post

An Calvinus neget hominem baptizatum posse peccare?

An Lutherus dicat præmia futuræ vitæ esse æqualia?

An Bucerus neget virginitatẽ Mariæ? partum mansisse virginem, sed imaginarium papisticum partum refutat, & dicit ex Luc. 2. 23. *Quòd omnis masculus adaperiens vulvā &c.* neq; enim in hac re consistit læsio virginitatis, neque nos legimus Iovinianum ab illo concilio hæreseos damnatum esse.

Vigilãtius. Vigilantius docuit, *Sanctorum reliquias non esse venerandas, sanctos non esse invocandos. Ecclesiasticos debere esse uxoratos, non expedire õnia dare pauperibus, & relicto seculo properare ad religionem. Eadem omnia docent sectarij.* Equidem sanctorum reliquias non esse cultu religioso venerandas, mortuos non esse invocandos. Sacerdotum conjugium esse licitum, neque meritorium esse, fieri Monachum, cum scriptura dicimus.

Pelagius. Pelagius dicit *in homine non esse peccatum originale, & per quodlibet peccatum perdi justitiam.* *An Lutherus neget peccatum originale?* Idem docent Lutherus, Melancthon, Calvinus. Nugæ. Fatemur omnes homines excepto Christo in peccatis concipi & nasci, & nihilominus puerulos in Ecclesia natos ratione fœderis esse sanctos. addimus omne peccatum per se esse mortale, & tamen negamus per quodlibet peccatum perdi justitiam.

Nestorius Nestorius docuit *in Christo duas esse personas. Idem docet Beza.* Crassissimum mendacium. Multis enim illustribus scriptis asseruit, Iesum Christum θεάνθρωπον esse unam personam, atque eos qui contrarium asserunt, graviter refutavit.

Euty-

Eutyches dicit *in Christo esse unam naturam.* *idem docuit Svvinckfeldius. Quid ille ad nos?* **Eutyches.** **Svvinckfeldius.**

Xenaias docuit *Christi & Sanctorum imagines non esse venerandas. Idem docet Calvinus.* Sed ostendit adversarius imperitiam historiæ. Tota enim antiquitas & Dei verbum negant imagines esse religiosè colendas, quemadmodum ostendemus, cùm de cultu imaginum disputabimus. **Xenaias.**

Läpretiani docent *Monasteria debere esse libera, sine votis perpetuis. Idem docet Lutherus,* approbamus. **Lampretiani.**

Vltimo loco dicit fuisse quosdam hæreticos, *qui negabant Eucharistiam esse verè carnem Christi, sed asserebant panem esse signum sive figuram corporis Christi. Hanc hæresin docent Zvvinglius & Calvinus.* Rectè. Hoc ipsum enim necessaria consequentia ex Dei verbo deducitur. Paulus enim ad Corinth. cap. 10. v. 16. *panis* inquit, *quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Et 1. ad Corinth. 11. 25. *Poculum est novum Testamentum in meo sanguine.* Explicet adversarius, quomodo panis consecratus sit cõmunio corporis, & quomodo poculum consecratum sit novum Testamentum, & docebit me panem non esse propriè ipsum corpus, sed ejus figuram, poculum item non esse propriè ipsum sanguinem, sed ejus figuram. Deinde à tota antiquitate id ita esse unanimiter asseritur. Tertullian. lib. 4. contra Marcion. *Acceptum panem & distributum, discipulis suis corpus suum illum*

An Eucharistia sit verè caro Christi?

An panis propriè sit ipsum corpus Christi, an verò figura corporis.

fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est *figura corporis mei.* Basilius in Liturgia, *Apposuimus antitypa sancti corporis tui.* Nazianzen. orat. de paschat. *Antitypa pretiosi corporis Christi.* Ambros. de Sacram. lib. 4. c. 5. *Hæc oblatio est figura corporis Domini.* Augustin. contra Adimant. Manichæ. *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm daret signum sui corporis.* Theodoret. dialogo 1. *Servator noster nomina commutavit, & corpori quidem idem, quod erat signi, ac symboli nomen imposuit. Symbolo autem quod erat corporis.* Macarius hom. 27. ἄρτος καὶ οἶνος ἀντίτυπα τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος ἐν ἐκκλησίᾳ προσφέρεται. Et non puduit Monachū, illud dogma, quod necessaria consequentia ex Dei verbo deducitur, & totidem verbis, ab universa antiquitate asseritur, hæreseos insimulare, atque hujusmodi rationibus probare nostram doctrinam ex damnatis hæresibus consarcinatam. Lege studiose lector, quæ capite 9. l. 3. §. ut cultum Dei, annotavimus.

LIBER

LIBER SEXTUS.

Nota septima unio membrorum.

CAPUT PRIMUM.

SEx priores notas excussimus lib. superiore. Sequitur ut cæteras novem excutiamus. Septima nota est unio membrorũ inter se & cum capite. Ecclesia enim est unum corpus, Rom. 12.5. *Ita multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum membra.* Unica Sponsa, Cantici 4.9. *Rapis animam meam soror mea, sponsa mea.* Et 6.6. *Unicam illam columbam meam, integram meam, unicam illam apud matrem suam, puram illam apud genitricem suam, simul ac viderint puellæ, beatam prædicabunt.* Unum ovile, Ioh. 10.10. *Alias oves habeo, quæ non sunt in hac caula, & illas me oportet adducere, fiétque unum ovile & unus Pastor.* Caput autem Ecclesiæ est Papa Romanus, unionem igitur cum Papa, patres semper veræ Ecclesiæ notam esse docuerunt.

An unio membrorũ sit nota Ecclesiæ?

Sed hoc est falsum. A principio enim orbis, usque ad ejus finem, tantùm est unica Ecclesia. Sed Ecclesia, quæ, priusquam Christus in carne apparuit, in mundo peregrinabatur, non fuit cõjuncta cum Papa. Papa enim tum nondum erat. Deinde Ecclesia, quæ fuit tempore Christi in

An omnes patres docuerint unionẽ cum Papa esse Ecclesiæ notam?

terra versantis, & priusquam Euangelium Romæ annũciaretur, non adhærebat Papæ Romano. Nam & tum nondum erat Papa. Ridiculum igitur est dicere conjunctionem cum Papa esse essentialem Ecclesiæ notam. Essentialis enim alicujus rei nota, isti rei, cujus, nota est, convenit semper, nec ab ea separari potest. Sed conjunctio cum Papa Romano non semper convenit Ecclesiæ, & ab ea separari potest, ut docet Gerson. de auferibilitate Papæ Rō. ab Ecclesia, & hoc ipsum concedit Bellarm. l.4. de Papa. c.4.

Ecclesiam Romanam non posse deficere, est pia & probabilissima sententia; non tamen adeò certa, ut contraria dici possit hæretica vel erronea. Vt rectè docet Iohannes Driedo. lib.4. de dogmat. Eccles. cap. 3. par. 3.

Adversarius suam sententiam aliquot testimoniis patrum probat, quæ ordine explicabimus. Priusquam tamen ipsos patres producam, dico hoc dogma non testimonio humano, quale est Patrum, sed divino probandum fuisse. Cùm verò nullo divino testimonio probari possit, sequitur non divinum, sed humanum dogma esse. Et cùm extra scripturam ab homine excogitatum sit, manifestum est illud eadem facilitate, à nob. reprobari posse, qua ab eo approbari. Hæc sufficerent ad totam hanc disputationem inducendam. Verùm ne quisquam cùm sanctos patres ab illo appellari audit, existimet Patres cum illo sentire, ipsorum auctoritates expli-

Conjunctio Ecclesiæ cum Papa est humanum dogma.

plicemus, Primo loco producitur Irenæum. Is lib. 3. cap. 3. *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.* Sed Irenæus non docet omnes Ecclesias tum Papæ, tanquam universali suo capiti junctas fuisse, tantùm docet eas cum Romana convenisse. Verùm eodem modo & cum aliis convenire debebant, idque non propter hunc, vel illum Episcopum, sed propter veram & uniformem doctrinam, quæ tum in Ecclesiis prædicabatur. Hoc docet Irenæus dicto loco. *Policarpus in ea, quæ est Smirnis Ecclesia, Episcopus constitutus, docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, et sola sũt vera. Et quæ est Ephesi Ecclesia, à Paulo quidem fundata, Iohanne apud eos permanente, usque ad Trajani tempora testis est verus Apostolorum traditionis.* Cùm paulo antè de Romana dixerat. *In qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quæ ab Apostolis traditio.* Vnde apparet veram & genuinam Apostololicam doctrinam, esse causam propter quam ad hanc Ecclesiam convenire, & ab illa abstinere debemus. Ea aũt quoniam non minus Smirnis, & Ephesi, quàm Romæ incorrupta conservabatur. Singulæ etiam Ecclesiæ non minus cum Smirnensi & Ephesina, quàm cum Romana convenire debuerunt. In hujus rei testimonium omnes Ecclesiæ Apostolicam doctrinam custodientes mittebant sibi mutuò litteras communicatorias.

Irenæus.

catorias.

catorias. Cyprian. ep. 55. *Quod ideo de omnium nostrorum consilio tibi placuit scribere, ut erroris diluendi et perspiciendæ veritatis cõpendium fieret; & scires tu & collegæ nostri, quibus scribere, & litteras mutuò à quibus accipere oporteret.* Sed hoc argumentum nunc omnem vigorem perdidit. Romana enim Ecclesia nunc non amplius servat Apostolicam doctrinam, sed eam multis erroribus & hæresibus miserè fœdavit. Concilium constantiense sessione 13. *Licet Christus post cœnã instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraq; specie panis & vini hoc venerabile sacramentũ.* Et. *Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentũ reciperetur à fidelibus sub utraq; specie, posteà à cõficientibus sub utraq; tantũ, à laicis nunc tantumnodo sub specie panis recipiatur.* Caus. 31. q. 1. c. *Hac ratione. Secũdam quidem accipere, secundum præceptũ Apostoli licitum est, secundum verò veritatis rationem, fornicatio est.* Ex quibus manifestum est Apostolicã doctrinam à Papa corruptam esse. Ut igitur tum propter conservatam doctrinam Apostolicam, omnes Ecclesiæ cum Romana Ecclesia debebant convenire; ita nunc propter depravationem doctrinæ Apostolicæ, debent ab eadem abstinere, & nunc non magis cum Romana, quàm cum Ephesina & Smirnẽsi communicare.

Sub utra species

Cyprianus

Post Irenæum adducit Cyprianum, lib. 1. ep. 3. *Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri*

Cathe-

Cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum. Ex hoc loco quomodo velit probare, conjunctionem cum Papa Romano esse propriam & veram Ecclesiæ notam, non video, nisi existimat eam propterea esse hujus rei notam, quòd ex Cathedra Petri & Ecclesia Romana sacerdotalis unitas orta est, vel quia ad Romanos perfidia non habet accessum.

Verùm sacerdotalis unitas non Roma, sed Hierosolyma profecta est. Es. 2. 3. *E Sion exibit lex, & verbum Dei de Hierusalem.* Theodoret. lib. 5. c. 9. *Hierosolyma est mater omnium Ecclesiarũ.* Nazianz. Ep. ad Cæsar. *Cæsarea est mater omnium Ecclesiarum, eámque universa Christiana Respub. amplectitur, & revincit ut circulus centrum.* Polydorus lib. 4. c. 6. *Nequis erret, nulla alia ratione Episcopalis ordo ab Episcopo Romano profectus dici potest, nisi apud Italos duntaxat id factũ intelligatur, cùm perdiu ante adventum Petri in urbem Romam, apud Hierosolymos sacerdotium ritè institum fuisse liquidè liqueat.* Hoc igitur encomium non totius orbis, sed solius Italiæ respectu Romanæ Ecclesiæ datum est. Hac ratione civitas dicitur quasi mater & caput cæterarum, unde etiam metropolis appellatur, ut inquit Augustin. lib. 3. c. 25. de consensu Euangelistarum. Et Chrysostomus, *Antiochiam vocat metropolin fidei, ad* Antioch. hom. 17. Quod ad alterum attinet,

Roma non est mater Ecclesiarum.

Alterum non convenit soli. net. Hoc encomium eo tempore conveniebat Romanæ Ecclesiæ. Sed non soli. Nam Ignatius dicit de Ecclesia Ephesina. *Nullam inter vos prorsus sectam patimini, ac nemini ne aures quidem præbetis, præter unico illi ac vero pastori, Doctori Iesu Christo, taléſque omnino estis, quales esse oportet, unum corpus, unus Spiritus, &c.* Et tamen conjunctio cum Ephesina Ecclesia non est vera nota, per quam vera Ecclesia à falsa distinguitur. Deinde videtur Cyprianus dicere non quales essent, sed quales esse deberent. Nam in hac eadem Epistola, queritur eos esse à Papa receptos, qui ab Ecclesia Africana erant excommunicati. & Epistola 4. ejusdem libri, dicit Stephanum *Deificam disciplinam neglexisse*, quòd cum Basilide & Martiale communicaverat. Ex quo intelligitur, perfidiam quandoque ad eum accessum habuisse.

Cyprianus Idem lib. 4. ep. 8. *Scimus hortatos nos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent, & tenerent.* Sed hoc nihil planè ad rem facit. Matrix enim & radix Catholicæ Ecclesiæ, non est Roma, quemadmodum paulò ante probavimus. Hoc loco unitas Ecclesiæ est matrix & radix Ecclesiæ. Docet hoc Cyprianus hac eadem epistola. *Quod ut simul cum cæteris collegis stabiliter & firmiter ministremus, atque ut Catholicæ Ecclesiæ concorditer unitatem teneamus.* Deinde Theodor. lib. 5. c. 9. dicit *Hierosolymam esse matrem omnium Ecclesiarum.*

Matrix & radix Ecclesiæ non est Roma.

Ambrosius in oratione de obitu Satyri, *Advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi veram fidei gratiam, percunctatúsque ex eo est, utrum nam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret?* Ambros.

Ridiculum argumentum. Nam ut tum Romana Ecclesia erat membrum Ecclesiæ Catholicæ, ita nunc est sedes Antichristi.

Ambrosium sequitur Hieronymus, 16. Epistola ad Damasum. *Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat, ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Hieronym

Idem in Epistola ad Damasum. *Ego beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consortior. Super illam Petram ædificabo Ecclesiam, extra hanc domum, qui agnum commedit, profanus est.*

Idem in Epitaphio Marcellæ, dicit, *Athanasium & ejus successorem Petrum declinantes Arrianam persecutionem, tanquam in tutissimum portum confugerunt Romam.*

Optatus lib. 2. contra Parmenionem docet Donatistas *non pertinere ad veram Ecclesiam, quia non essent conjuncti cum Syricio.* Optatus.

Hæc omnia arguunt Orthodoxas Ecclesias fuisse cum Romana junctas, de universali capite Papa nulla mentio. Deinde aliud est jungi cum veteri Romana, aliud cum hac moderna Romana Ecclesia. Aliud est jungi cum antiqua Romana Ecclesia, alia cum moderna.

Optatum insequitur Augustinus, Is Epi- Augustin.

stola 162. *Qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Ecclesiæ viguit principatus, per communicatorias litteras esse conjunctum.*

Cōjunctio per communicatorias litteras.

Sed quælibet Catholica Ecclesia alteri per communicatorias litteras erat conjuncta, & tamen adversarius non vult conjunctionem cum qualibet Ecclesia esse notam, qua vera Ecclesia à falsa distinguitur. Deinde multæ Ecclesiæ olim cæteris Ecclesiis per communicatorias litteras erant conjunctæ, quæ nunc sunt prorsus vastatæ, ut Carthaginensis, Hipponensis, & innumeræ aliæ. Unde apparet non esse necesse, ut cui Ecclesiæ aliæ Ecclesiæ olim erant per communicatorias litteras conjunctæ, eidem & nunc conjunctæ sint. Præterea, omnes Ecclesiæ olim erant cum Romana conjunctæ per communicatorias literas, & hęc cum illis vice versa, nunc autem cæteræ Ecclesiæ non per cōmunicatorias litteras, sed per tyrānicam oppressionē sunt cum Romana conjunctæ. Papa enim rapuit sibi jus omnium aliarum Ecclesiarum. Cardinal. Zabarella. C. licet, extra, de electione, *Papa invasit omnia jura inferiorum Ecclesiarum, adeò ut inferioris ordinis prælati pro nihilo sint, & nisi Deus succurrat, vehementer periclitaturus est status Ecclesiarum.* Illud docet Augustinus dicto loco. *Cùm se videret Romanæ Ecclesiæ in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus, & cæteris terris, unde*

Papa rapuit jus omniū Ecclesiarū

Zabarella.

Evan-

Euangelium ad ipsam Africam venit, per *communicatorias litteras esse conjunctam*. Vides Carthaginensem non tantùm Romanæ Ecclesiæ, sed etiam *cæteris terris per communicatorias litteras* fuisse conjunctam. Adversarius ut incautum lectorem falleret, ista verba, & *cæteris terris, unde Euangelium ad Africam pervenit*, reticuit. Huc accedit, nos legere quidem conjunctionẽ Catholicarum Ecclesiarum cum Romana Ecclesia, sed de Papa altum silentium.

Allegat & alium locum ex Augustino, qui prorsus ad rem non facit, Augustinum sequitur Leo. ep. 87. ad episcopos provinciæ Viennensis. Et ep. 89. *Prædicationis Euangelii sacramẽtum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro summo omnium Apostolorum principaliter collocaret, ut ab ipso quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.*

Impingit hoc loco Leo, non enim Petrus, sed Christus est ille, ex quo omnia dona in nos derivantur. Ioh. 1. 16. *Ex ipsius plenitudine accepimus omnes*. Eph. 4. 16. *Ex quo totum corpus, pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens*. Multò minus Papa est ille, ex quo omnia dona in membra derivantur. Multi enim Papæ fuerunt, qui cum Christo prorsus nullam communionem habuerunt,

utpote illi, qui se anima & corpore devoverunt Satanæ. Si tamen Papa hoc sibi pertinaciter arrogabit, ostendit se esse Antichristum, vendicat enim sibi id, quod est Christi proprium. Si verò per soliditatem Petri intelligit Christum, qui verè est Petri soliditas, tum etiam impingit Adversarius. Vera enim conjunctio cum Christo non est nota, sed essentialis forma Ecclesiæ. Deinde non solùm Petrus, sed quilibet electus est ille, à cujus soliditate, cùm quis recedit, fit exsors mysterii. Et tamen conjunctio cum quolibet electo, non est perpetua nota, qua vera Ecclesia à falsa distinguitur.

Papa sibi vendicat id, quod Christi est

Post patrum sententias, adducit argumenta à ratione petita, quibus idem probare conatur. Prima ratio, *quia omnes Ecclesiæ, quæ se à Papa Romano diviserunt, tanquam rami præcisi à radice continuò exaruerunt.*

Argumenta à ratione petita.

Falsum, nam non qui se à Papa: sed qui se à Christo dividit, ut ramus præcisus arescit. Ioh. 15. 1. *Ego sum vitis illa vera, & pater meus agricola est.* v. 6. *nisi quis in me manserit, statim abjectus extra vineam, ut palmes arescet.* Verùm conjunctio Ecclesiæ cum Christo non est nota, sed essentialis forma Ecclesiæ, nec potest Ecclesiæ nota esse: Non enim est semper conspicua. Multi enim à Papa divisi fuerunt, qui tamen pro veris Ecclesiæ membris agniti fuerunt. Victor n. divisit à se Ecclesias Asiaticas. Eus. l. 5. c. 23. & tamen Asiaticæ Ecclesiæ, longè post Victoris

Aliqui à Papa divisi fuerunt vera Ecclesiæ mēbra.

ætatem

ætatem, fuerunt veræ Ecclesiæ, habuerunt post eam ætatem multas synodos, & multos claros Episcopos, qui etiam num pro Orthodoxis habentur. Deinde Ecclesia Romana divisit se a Papa suo Marcellino. Condemnatione Marcellini. *Marcellinus autem in conspectu synodi cecidit in terram. Ibi ergo jacentem & moram eum trahentem condemnaverunt.* Quem verò damnaverunt, ab eo se diviserunt. *Ecclesia Romana se divisit à Papa.*

Romana Ecclesia damnavit Iohannem duodecimum. Luitprand. l. 6. c. 11. supplement. Chron. p. 172. Eadem damnavit, & ex Ecclesia rejecit Felicem & Liberium.

Quin & universa Ecclesia damnavit, & ejecit Honorium. & Iohannem 23. Unde manifestum est, multos Papas esse, à quibus se Romana Ecclesia divisit, nam quem damnavit, & ex Ecclesia expulit, ab ea divisit se, quin sunt nonnulli Papæ, à quibus se universa Ecclesia divisit; quos enim universa Ecclesia damnat, & ex Ecclesia expellit, ab iis dividit se. Atque ob hanc causã, aut falsum est, quod Adversarius dicit, eos tamquam ramos à radice præcisos exarescere, qui se à Papa Romano dividunt, aut Romanam Ecclesiam, imò universam Ecclesiam, antè multa secula prorsus exaruisse. *A quibusdam Papis divisit se universa Ecclesia.*

Post hæc dicit concordiam esse signum regni Dei, & discordiam esse signum regni Diaboli. At non omnis concordia est signum regni Dei, sed illa tantùm concordia, quæ est in Chri- *Non omnis concordia est signum regni Dei.*

sto. Nam & magna concordia est inter Mahumetanos, magna item inter Iudæos, nec tamen Mahumetani, aut Iudæi sunt de Ecclesia. Illa igitur tantùm concordia, quæ est in Christo, cōvenit regno Dei. Veruntamen concordia in Christo, non est visibile signum Ecclesiæ Christi, non enim potest humanis oculis videri.

Stulta jactantia de concordia Romanensum. Postquam docuit concordiam esse signum regni Dei, subjungit omnium Pontificum & conciliorū decreta, in omnib. dogmatibus, omnibus locis, & temporibus, contra diversas, imò contrarias hæreses edita, inter se convenire.

Consensus in Christo laudabilis. Sed nullus consensus est laudabilis, nisi ille, qui est in Christo. Etsi igitur omnes Papæ idem sentirent; tamen si non in Christo sētirent idem, non esset illorum consensus laudabilis. Deinde *Consensus Paparum.* est falsum quod dicit, Felix II. & Liberius fuerunt Arriani, Anastasius Nestorianus. Vigilius Eutychianus, Honorius Monothelita. Aut igitur non omnes Papæ in omnibus dogmatis, & decretis consenserunt, aut omnes fuerunt iisdem hæresibus infecti. Deinde Stephanus dānavit omnia decreta Formosi. Romanus damnavit omnia decreta Stephani, ejusdem decreta damnavit & Theodorus & Iohannes. Horum omnium decreta damnavit Sergius. Vide Platinam. Et tamen omnes Papæ in omnibns decretis conveniūt, scilicet. Præterea Iohannes 23. judicavit animas humanas unà cùm corporibus perire, & propterea ab Ecclesia damnatus est,

num

num & in hoc dogmate conveniunt oēs Papę? Quod dicit omnium conciliorum decreta de dogmatis facta consentire, falsum est. Concilium enim Næocæsariense *Imposuit us, qui secundas nuptias contrahunt, pœnitentiam.* 31.9.1.c. in his qui frequenter. At Paulus *vult juniores viduas nubere.* 1. Tim. 5.14. Ergo quod Paulus præcepit, decrevit synodus publica pœnitentia expiandum esse. Sed hoc tamen concilium est legitimum, dist.20.c. libellis. Synodus Nicæna prohibet militiam.c.12. At Iohannes eam approbat. Luc. 3.14.

Consensus inter concilia & scripturam.

Synodus Arelatensis prohibet conjugatum ordinare. c.2. At Paulus vult, ut *Episcopus sit unius uxoris vir.* Tit. 1.6.1. Tim. 3.2.

Concilium Laodicenū publicæ pœnitentię addicit eos, qui secundas nuptias legitimè contraxerunt.c.1. At Paulus *juniores viduas* ad eas adhortatur. 1. Tim. 5.14.

Concilium Carthaginense.3. Can.47. recipit librum Sapientiæ, Sirach, Thobiæ, Iudith, Baruch, & Machabæicos in canonem, eosdem verò ex canone excludit concilium Laodicenū, can. 5.9.

Concilium Chalcedonense can.24. *Sedi Novæ Romæ eandem dignitatem tribuit, quam scilicet habebat sedes veteris Romæ.* Sed Leo ep.63. dicit hoc esse *illicitum, & pugnare cum Synodo Nicæna.* Et tamen Chalcedonense decretum tandem in Ecclesia obtinuit, & approbatum est.

Concilium Carthagin. 3. Can. 26. vetat ut *nullus Episcopus vocetur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi,* & tandē est relatum in decret. 99. c. primæ sedis. At nunc Papæ Romani aliis titulis appellari nolunt.

Concilium VVormatiense, c. 3. jubet *fures occultos explorari per sacræ Eucharistiæ perceptionem.* Sed S. scriptura planè ad alium finem S. cœnam instituit.

Concilium Toletanum, c. 7. vetat eum à cōmunione repelli, qui pro uxore concubinam habet. Papa addit eum presbyterum, qui non habet uxorem, concubinam habere DEBERE, dist. 34, c. Is ergo: sed concubinarium admittere, & uxoratum repellere, sunt signa Antichristianismi.

Concilium Romanum sub Nicolao II. contra Berengarium habitum, decrevit, *non solùm sacramentum corporis Christi, sed ipsum etiam Christi corpus, sensualiter tractari, & frangi manibus sacerdotum, & fidelium dentibus atteri,* de consecratione dist. 2. Ego Berengarius.

Concilium Romanum sub Stephano VI. dānavit acta Formosi. Concilium verò Ravēnate sub Iohanne IX. condemnavit acta Synodi Romanæ.

Concilium Constantiense, sess. 13. contra cōsuetudinem veteris Ecclesiæ adimit Laicis Calicem.

Concilium Constantiense & Basiliense decer-

cernũt conciliũ esse supra Papam. Concilium verò Lateranense II. statuit Papam esse supra concilium.

Ex hac nuda recitatione apparet quàm bellè synodica decreta & inter se, & cum scriptura cõgruant.

Tertium argumentum. Quia nunc omnes Catholici toto orbe dispersi de omnib. dogmatis fidei idem sentiunt.

An omnes Catholici idem sentiant.

Sed hoc est falsũ. Fasciculus enim temporum docet, Petrum anno quarto Claudii venisse Romam, idem docet, Marianus Scotus, & Pasionale. At hoc negat Bellarminus, dicit enim Petrum anno secundo Claudii venisse Romam. Et tamen Marianus Scotus, auctor fasciculi & Pasionalis, sunt Papistæ.

Onuphrius dicit Petrum prius venisse Romam q̃ Antiochiam, in additit. ad Platinam, in vita Petri. Bellarminus verò acerrimè contendit Petrum prius fuisse Antiochiæ quàm Romæ, & in hac Cathedræ translatione ponit ferè totam papalem monarchiam, & tamen ambo fuerunt Papistæ.

Clemens in epistola I. ad Iacobum dicit Cathedram sibi à Petro immediatè traditam esse. Bellarminus verò negat Clementem Petro successisse. Epiphan. Hæres. 27. dicit incertum esse, quis Petro successerit, Bellarminus verò, id tam audacter asseverat. ac si eo tempore vixisset.

Damaſus in Pontificali dicit, Linum ante Petrum mortuum fuiſſe. idem dicit Sophronius & Simon Metaphraſtes. Bellarminus verò dicit Linum poſt Petrum aliquot annos præfuiſſe Eccleſiæ. Et tamen hi omnes ſunt Papiſtæ.

Epiphanius dicit Hæreſi 27. Petrum 12. anno Neronis mortuum eſſe. Bellarminus verò dicit eum 14. anno Neronis mortuum eſſe. Num Epiphanium non habebit pro Catholico? Linus in paſsionibus Petri & Pauli dicit, Paulum & Petrum nec eodem tempore, nec eodem loco, nec eodem tyranno jubente paſſos eſſe. Bellarminus verò acriter contendit, eos Romæ, eodem die à Nerone occiſos eſſe. Num igitur Linus non erit bonus Catholicus?

Lyra dicit Petrum Hieroſolymis occiſum eſſe, in 23. Caput Mathæi, Bellarminus verò hoc acriter negat, Num igitur Lyra non erit bonus Catholicus?

Porrò Adverſarius dicit additamēta Eſtheræ eſſe in Canone. Sed hoc negat Sixtus Senenſis biblioth. lib. 8. cap. 5. idem negat Lyra, Dionyſius Carthuſianus, Hugo Cardinalis, Thomas de vio. Adverſarius dicit ſynodum Tridentinam hæc additamenta canonizaſſe, ſed hoc negat Sixtus, & tamen inter eos eſt ſummus cōſenſus.

Idem dicit Baruch eſſe in Canone, At hoc negat Driedo lib. 1. cap. ultimo de libris & dogmatis Eccleſiaſticis.

Idem

Idem dicit additamenta Danielis esse in Canone, sed & hoc negat Drido lib. 1. cap. ultimo de dogmat. & lib. Ecclesiasticis, quin & hoc ipsum negat Iulius African. item Euseb. libro 6. capite 23.

Adversarius dicit neminẽ posse librum non canonicum facere Canonicum, lib. 1. cap. 10. de scriptura. sed Stapletonius lib. 9. cap. 14. doctrin. princip. dicit Ecclesiam posse librum non canonicum facere canonicum. Quin ipse Papa epistolas decretales, quæ antè non fuerant canonicæ, fecit canonicas, dist. 19. cap. in Canonicis.

Adversarius dicit Tobiam esse in Canone, Hieronym. prolog. ad Iudith, id negat.

Idem dicit Iudith esse in canone, sed Hieronym. præfat. librorum Salomon. id negat.

Idem dicit librum Sapientiæ esse canonicum, sed Epiphan. de ponderib, & mensur. id negat.

Idem dicit Ecclesiasticum esse canonicum. Hieronym. verò hoc negat, prolog. galeat.

Idem dicit Machabæos esse Canonicos, sed & hoc negat Hieronym. prolog. lib. Salomonis. At Hieronym. judicium sequitur Eccles. dist. 15. c. Sancta Romana, & tamen inter eos est sũmus consensus. Et ut finem faciam ex ipso Bellarmino constat vix esse ullum dogma Papisticum controversum, de quo doctores Papistici idem sentiunt. Inter omnes Papistas esse unitatem ostendit hactenus: posthac docebit inter protestantes non esse unitatem. Ac primum

Inter protestantes nullus est consensus.

mùm dicit Lutheranos vix natos se dividisse in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios, & hos tempore Staphyli, se in 34. nunc autem se ferè in 100. sectas dividisse.

Sed hoc est falsum. Lutheranis enim nihil umquã cum Anbaptistas commune fuit. Quin Anabaptistas nemo fortiùs oppugnavit & convicit, quàm protestantes. Attamen dicis, Anabaptistæ ex Lutheranis prodierunt, sed hoc non est verum. Ex Papistis enim prodierunt, non ex Lutheranis, et si maximè ex iis prodiissent, tamen nihil faceret ad rem. Ioh. enim 2. 17. scriptum est, *Egressi sunt ex nobis.* Num propterea Apostoli ex quibus isti egressi sunt, non sunt vera Ecclesia? Inter cæteros, quos adversarius Lutheranos, Confessionistas, & Sacramentarios odiosè vocat, esse majorem consensum in doctrina, quàm adversarius optat, docet Harmonia cõfessionem. Cochlæi ut capitalis hostis testimonium ne unius quidem æstimamus asis. Deinde inter vera Ecclesiæ membra dissentio esse potest, ut inter Hieronymum & Augustinum, nec qui à seipso dissentit, protinus ex Ecclesia exterminandus est. Posteriores enim cogitationes, possunt esse meliores, & qui verum Ecclesiæ membrum est, in doctrina proficere potest. Equidem fatemur Lutherum docendo & scribendo profecisse. Et hoc ferè omnibus piis, qui non sunt immediatè à Deo edocti, accidit. Aug. ep. 7. *Ego ex eorum numero me esse profiteor, qui scri-*

Anabaptistæ ex Papistis prodierunt.

Cochlæi testimonio contra nos utitur Bellarminus, ut & Staphyli.

Pii proficiunt etiã in doctrina.

scribunt proficiendo, & scribendo proficiunt. Ipse Lutherus hoc non dissimulat, & ob eam causam rogat, ut omnibus scriptis suis non adhibeamus fidem, sed ea tantùm ex iis recipiamus, quæ cum sacra scriptura congruunt. Præfat. in prim. Tom. operum Lutheri. Quod ad Augustanam confessionem attinet, illa est deinde magis ac magis illustrata, & num in ea locum non habeat proverbium, δεύτεραι φροντίδες? Fabricii Leodii, Apostatæ Staphyli, & aliorum capitalium hostium non testimonia sed calumnias & mendacia, quæ sparserunt, ut sibi Papalem benevolentiam conciliarent, fidem non merentur. *Lutherani item rigidi & molles, gravissimè contendũt, ut apparet ex libris VVigandi, & Illyrici contra Majorẽ & Melancthonem, & hi contra illos.* Sed hæc contentio erat de rebus adiaphoris, & libero arbitrio. Atqui de rebus adiaphoris multo sævior contentio fuit inter Oriẽtales & Occidentales. Eus. lib. 5. Eccles. hist. c. 23. de libero arbitrio etiam Augustinus & Hieronymus diversum sẽserunt, num propterea Orientales & Occidẽtales, Augustinus & Hieronymus non pertinent ad Ecclesiam?

Augustana confessio.

Testes Papistici.

Quod ad Illyricum attinet, eum renovantem sententiam Manichæi, rectè & legitimè convicerunt VVitebergenses Synodo Dresdensi. Fatemur ubiquitatem Brentianam esse damnatam, eandémque paulò post, libro concordiæ, à quibusdam pastoribus in Saxonia esse approbatam.

Illyricus.

Vbiquitas.

Sed non

Sed non debet toti Ecclesiæ Saxonicæ imputari, quod pauci Theologi fecerunt, multò minus id universæ Ecclesiæ imputari potest. Deinde antiquitus sententia Orientalium & Occidentalium, diversis synodis approbata & improbata est, quin & Patrum nostrorum memoria, diversis synodis universalibus statutum est, *Papam esse infra & supra concilium.* Inferat hinc adversatius nec Ecclesiam primitivam, nec Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam.

Vnitas in Christo laudabilis

Fatendum igitur est, quòd non omnis unitas denotat Ecclesiam, sed ea tantùm, quæ est in Christo. Ioh. 17, 27. *ut & ipsi in nobis unum sint.* Eph. 4. 13. *donec evadamus omnes in unitate fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum.* Ioh. 8. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Sed Papistas non mansisse in sermone Christi, Protestantes sæpissimè receperunt, se in legitimo Ecclesiæ judicio demonstraturos esse. Porrò hæc unitas est perfecta, aut imperfecta. Perfecta erit in futura vita, imperfecta erit, quàm diu in hoc mundo peregrinamur. Docent hoc exempla dissidii, quod fuit inter Petrum & ceteros Apostolos, act. 11. inter Petrum & Paulum, Gal. 1. & 2. inter Paulum & Barnabam, actor. 16. Vt tamen constet quousque hæc infirmitas pertingat, sciendum est eos, qui à fundamento fidei aberrant, & in errore sunt cõtumaces, ad unitatem Ecclesiæ non pertinere, cæteros qui adhęrent veritati, Ecclesiæ nomen

Vnitas perfecta.

Imperfecta.

retine-

retinere. Nam inter Galatas erat dissentio de justificatione. Cap. 3. 1. & 5. 7. *Amentes Galata quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati*, & tamen Paulus cœtus Galatarum vocat Ecclesias Galatiæ, cap. 1. vers. 2. Corinthii profanabant Cœnam Domini. 1. Cor. 11. 22. *Num domos non habetis ad edendum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* iidem doctrinam de resurrectione mortuorum in dubiũ vocabant. 1. Cor. 15. 12. *Quomodo dicunt quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum?* Neque tamen Paulus iis Ecclesiæ nomen adimit, sed dicit 1. Cor. 11. 19. *Oportet inter vos hæreses esse, ut qui probati sunt, fiant manifesti inter vos.*

Tempore Cypriani gravissima contentio erat in Ecclesia de baptizandis iis, qui ab Hæreticis ad Ecclesiam redibant, Res acta est magna cõtentione, utraq; pars habuit suas asseclas, quin & utraq; sententia diversis synodorum decretis, approbata & improbata est. Nemo tamen vel iis, qui Cyprianum sequebantur, vel iis qui rectam sententiam tenebant, Ecclesiæ & unitatis nomen ademit. Tempore Cornelii fuit æquè gravis controversia de Paschate, tot conciliorum decretis probata & improbata. Nec tamen quisquam iis, qui cum Polycarpo erant, nec etiam iis, qui cum Hygino erant, Ecclesiæ & unitatis nomen ademit. Quin cùm Victor tam nobiles Ecclesias à Corporis unitate abscindere conaretur, ab Irenæo cæterisque Europæis Epis-

piscopis gravissimè reprehensus est, nec ejus sententia ullam eo tempore in Ecclesia auctoritatem habuit, ut docet Eusebius lib. 5. hist. Et ne in exemplis variis referendis longior sim; vix sunt duo Patres, ex tota antiquitate Latina, & Græca, qui de omnibus dogmatis Ecclesiasticis idem scribant. Imò vix quisquam est, ex iis omnibus, qui cum se ipso per omnia consentiat. Num propterea omnes Patres Græci & Latini ex Ecclesia exterminandi sunt? non igitur quodlibet dissidium tollit Ecclesiæ & unitatis communionem. Ut tamen constet quamdiu isti contentiosi Ecclesiæ nomen retineant, sciendū est, vel utramque partem, vel alteram tantùm à fundamento fidei discedere. Qui fundamentum fidei retinent, illi citra controversiam & Ecclesiæ, & unitatis nomen possident. Qui verò à fundamento fidei aberrant, non prorsus sunt abjiciendi, quamdiu se dociles prębent. Cùm verò contumaciam cum errore conjungunt, tum & Ecclesiæ, & unitatis nomen iis adimendum est. Sed de his nisi ex Dei verbo judicari nequit. Unde enim cognosceretur Ecclesia in sermone Dei manere, nisi ex sermone Dei? Manifestum igitur sermonem Dei esse hujus unitatis & Ecclesiæ notam ac symbolum. Sed protestantes hactenus manserunt in sermone Domini, & tam multas calamitates perpetiuntur, ut sermoni Domini adhæreant, nec ullo legitimo judicio demonstratum est, eos à sermone Domini

defle-

xisse. E contra Papistæ non manserunt in sermone Domini, & hoc se legitimo judicio probaturos esse receperunt protestantes. Ut ut sit, Papistæ nec inter se, nec cum capite suo cohærent. Cum capite suo non semper cohæserunt, Multos enim Papas de solio dejecerunt, excommunicaverunt, damnaverunt, nec ullam cum iis communionem colere voluerunt. Inter se, & à capite suo dissederunt, in illis horrendis schismatis, cùm duo vel tres Papæ simul electi essent, & se mutuò damnarent, ac propter eos universus orbis Christianus sanguine & cædibus maderet. Deinde vix unum dogma inter nos & illos controversum est, de quo omnes Papistæ idem sentiant. Sed ego cæteris missis tantùm unum exemplum proferam. De missa illorum quot sunt contentiones! Petrus de Aliaco statuit consubstantiationem, alii transubstantiationem. Papa in decretis dicit, hominem communicantem edere, & frangere Christi corpus *sensualiter*, de consecratione dist. 2. c. Ego Beringarius. Glossa in dictum caput. *Est qui Papæ sententiam fateatur graviori hæresi laborare, quam Beringarii.* Quanta contentio est, de substantia panis, ubi maneat? num resolvatur in primam materiam? num ad nihilum redigatur? ubi fundentur accidentia panis? num in aëre, an per se subsistant? an situentur in corpore Christi? quamdiu hostia consecrata maneat Christi corpus? an descendat in ventriculum? an con-

Dissentiones inter papistas.

Quæstiones de Missa.

vertatur in alimentum hominis? an ad cœlum evolet? cùm vermes ex hostia consecrata nascũtur, an ex accidentibus panis? an ex ejus substantia? an verò ex substantia corporis Christi nascantur? quid vorent mures? num accidentia panis? an Christi corpus? nec hæ controversiæ adhuc intereos compositę sunt. Incivile autẽ est, eos tam multas controversias de missa inter se agitare, & unicã hanc de modo percipiendi corporis Christi nobis exprobare.

CAPUT II.

Octava nota sanctitas doctrinæ.

An sanctitas doctrinæ sit nota Ecclesiæ?

Octava nota est sanctitas doctrinæ, sed hæc externis sensibus percipi non potest. Si enim externis sensibus percipi posset, omnes homines qui sensibus præditi sunt, perciperent eam. At nunc videmus maximam orbis partem Paganos, Mahumetanos, & alios, eam ut prosanam abominari. Quin ne humana quidem ratione percipi potest, quàm multi enim Philosophi, & viri docti, eam ut ineptam & fatuam subsannarũt, & adhuc subsannant? Huc accedit eam non posse nisi ex doctrina cognosci. Qui enim poteris judicare an doctrina sancta sit, nisi ipsam prius cognoveris? Doctrina verò scriptura sacra, quam verbum Dei vocamus, comprehensa est. Non possumus igitur cognoscere doctrinæ Ecclesiasticæ sanctitatem, nisi ex scri-

ptura

ptura. Num adversarius relabitur in castra Calvini, & quod antè negavit. Verbum Dei Ecclesiæ notam esse, affirmabit? Quòd dicit Ecclesiam propter sanctitatem doctrinæ sanctam dici, non omnino verum est. Maximè enim & principaliter dicitur sancta, quòd Christus eam sanctificavit. Augustin. in psalm. 85. *Audeat corpus Christi, audeat & unus ille homo clamans à finibus terræ, cum capite suo, & sub capite suo dicere, sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum.* Et, *dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me.* Et, *Si Christiani omnes & fideles, in Christo baptizati, ipsum induerent, sicut Apostolus dicit; Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis si membra sunt facti corporis ejus, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta sunt.*

Vnde Ecclesia dicitur sācta? Augustinus.

Libenter confitemur sanctam, & salvificam doctrinam nusquam inveniri, nisi in Ecclesia, addimus eam esse veram Ecclesiam, quæ hanc doctrinam habet, & quæ eam non habet, non esse veram Ecclesiam. Docet hoc Moses lib. 5. c. 4. vers. 8. *Quæ est gens ista magna, cui sunt statuta & judicia justa, sicut est universa lex ista, quā ego do coram vobis hodie.* Ob hanc causam dicimus eam Ecclesiæ notam esse. Sed hoc de ipsa doctrinæ substantia non de ejus qualitate intelligimus. Etsi enim puritas sive sanctitas doctrinæ in Ecclesia viget; tamen id non semper fit

Sola Ecclesia habet salvificā doctrinā.

eodem gradu. Non enim si hæc puritas aliquo modo vitiatur, Ecclesia statim perit. Galatæ enim, vel quidam ex iis corruperant doctrinam justificationis, Paulus tamen iis Ecclesiæ nomen propterea non adimit. Corinthii item corruperant doctrinam de cœna Domini, & mortuorũ resurrectione, neque tamen Apostolus eos propterea de Ecclesia esse negat. Ex omnibus Patribus Græcis & Latinis, vix quisquam est, qui non habeat suos errores, neque tamen eos propterea extra Ecclesiam esse censemus. Sed inter horum & Apostolorum scripta hoc discrimen esse dicimus, quòd hi errare potuerint, & sæpe erraverint: illi verò ita à Spiritu sancto ducti sint in omnem veritatem, & in ea ab eodem Spiritu conservati, ut in doctrina omnino errare non potuerint. Ac proinde Apostolorum & Prophetarum doctrinam perfectè sanctam, & Ecclesiæ notam esse dicimus. Porrò cùm corruptelæ in Ecclesiam irrepunt, videndum est, an ipsum fundamẽtum evertant, & cùm sint pervicacia conjunctę, item an totus cœtus an aliqui in eo illas complectantur. Si non labefactant fundamentum, neque totus cœtus, & omnes, qui in eo, illas sequuntur, neque qui ea defendunt, sunt pervicaces, non opinor illis Ecclesiæ nomẽ adimi posse.

Discrimen in doctrinam Spiritus Sancti, & sanctorum patrum.

Subjungit hæreticos, non habere puram doctrinam, sed defendere multos tetros errores, idque operosè probat; quod totum ut super-

pervacuum, & ad rem non faciens, præterimus; quis enim ex nostris, contra quos Bellarminus hanc disputationem instituit, hoc unquam negavit? Addit nos non habere puram doctrinam, ac proinde nostram Ecclesiam non esse veram Ecclesiam. Quia verò hoc antecedens negamus, conatur illud aliquot rationibus probare, quas ordine diluemus.

An protestantiũ Ecclesia habeat puram doctrinam?

Prima. *Quia dicimus hominem justificari sola fide.* De hoc dogmate, nos quidem paulò antè, quantum satis esse judicavimus, diximus, tamen, quia adversarius hoc semper in ore habet, & fũdamentum salutis nostræ attingit, dabit æquus Lector veniam, si paulò prolixius respondero. Impura igitur doctrina est, hominem sola fide justificari? Atqui hoc nobis idem est, quàm hominem per solam Christi redemptionem justificari. Quod ad opera nostra attinet, eorum præsentiam dicimus esse necessariam, sed negamus hominem iis tamquam causis justificari, aut iis justitiam, vitámve æternam mereri, addimus ea non esse, neque esse posse justificationis causas, utpote quæ eam sequantur. necessariò quidem, sed tamen sequantur. Addimus nullum esse aliud meritum, per quod salvi fieri possimus, quàm mortem Christi, & quia hoc ipsum per solam fidem accipimus, & nobis applicamus, dicimus hominem per solam fidem justificari. Perinde enim est, ac si diceremus hominẽ sola obedientia Christi justum constitui, fidei

Iustificari sola fide.

enim ut instrumento, per metonymiam, scripturæ & toti antiquitati usitatam, tribuimus, quod est causæ principalis. Idem docet scriptura Rō. 3. 24. *justificamur gratis, ex ejus gratia, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Sed justificari gratis, ex Dei gratia, per redemptionem Christi, est idem, quod per solam gratuitam Christi redemptionem justificari, at hoc est per solam fidem justificari, idem est quod dicit Paulus Rō. 3. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis.* Gal. 2. 16. *Scientes non justificari hominem operibus legis, sed tantùm per fidem.* Rom. 4. 5. *Ei qui operatur, imputatur merces ex debito, ei verò qui credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam.* Rom. 11. 6. *Si per gratiam, an non ex operibus, alioqui gratia non esset gratia, sin ex operibus, jam non ex gratia, alioquin opus non esset opus.* Eph. 2. 8. *Gratia estis servati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus ne quis glorietur.* Tit. 3. 5. *Non ex operibus justis, quæ fecerimus ipsi nos, sed ex sua misericordia servavit nos.* Idem docuit subsequens Ecclesia. *Prosper* Prosper ad Ruffinum. *Sicut ipse fecit nos, & non ipsi nos, ita ille reficit nos, & non ipsi nos.* Et, *infantes, qui mox ut nati sunt, renascuntur, & ex hac vita rapiuntur, nec præcedente, nec subsequẽte obedientia quicquam merentur.* *Augustinus.* Augustinus ep. 106. *Quæ ex Deo justitia in fide? utiq; in fide, qua credimus nobis justitiam divinitus dari, non in nobis nostris*

viribus

viribus fieri. Libro octuaginta trium quæstionũ, quæstione. 76. *Quod si cùm crediderit, mox de hac vita discesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illã sed gratia pervenit, nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.* Sed hoc est, ꝙ nos dicimus, hominẽ justificari sola fide. & ob eam causam Ecclesia ita semper locuta est. Origines ad Rom. 3. *Homo justificatur per* SOLAM, *fidem.* Ambros. ad Rom. 3. *Nihil operantes neque vicem reddẽtes, per* SOLAM *fidem justificati sunt.* Et cap. 4. SOLAM *fidem gratia Dei poscit ad virtutem.* Et c. 4. *Abraham* SOLA *fide justificatus est.* Et in 1. ad Corinth. 1. *Qui credit in Christum salvus est, sine opere,* SOLA *fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.* Hilarius Canone. 8. in Mattheum, SOLA *fides justificat.* Primasius Rom. 5. SOLA *fides Abrahæ pro justitia ducta est accepta.* Et, *Impius per* SOLAM *fidem justificatur.* Et. *Gentibus* SOLA *fides ad justitiam deputatur.* Et. *Cõvertentem impium per* SOLAM *fidem justificat Deus.* Et ad Gal. c. 2. *in* SOLA *fide vivo.* Et, *Gẽtes* SOLA *fide benedicuntur in Christo.* Et, *gratiam accipimus per* SOLAM *fidem.* Et, *Credentes* SOLA *fide per gratiã absolvuntur.* Basilius de humilitate. πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένος. Theodoretus sermone 7. de grecis affectibus οὐ δι᾽ ἔργων ἀξιεπαίνων, ἀλλὰ διὰ μόνης πίστεως τετυχήκαμεν τῶν μυστικῶν ἀγαθῶν. Theophylact. ad Gal. c. 3. *fidem ipsam vel* SOLAM *habere in se justificandi virtutem.* Si igitur

illi non habent doctrinę puritatẽ, qui dicunt hominẽ justificari SOLA fide, tum tota primitiva Ecclesia, Gręca & Latina, non habuit doctrinæ puritatem, illa enim uno ore docuit, hominem justificari sola fide. Sed dicamus potius unum sacrificulum Monachũ, quàm tot florentes Ecclesias non habere doctrinæ puritatem. Post hęc affert puerilem parologismum, quo docet nos non justificari SOLA fide. *Cùm incipio*, inquiens, *credere, me esse justum, tum sum justus, vel injustus: si justus;* tum justificor per fidem, quæ *est mea justitia posterior: si injustus; tum fides mea est falsa, nec est fides justificans, nisi dicamus hominem justificari per mendacium: utrumque absurdum.* Respondeo, esse insufficientem enumerationem, tertium enim membrum, nempè *vel fio justus*, deest. Homo enim simulatque incipit verè credere, incipit etiam justus esse. Chrysostomus ὅμως τις ἐπίστευσεν, ἐδικαιώθη. *simulatq; quis credidit, justificatus est.* Paulò ante ex Augustino docui, justificationem fidei manere super eum, qui simulatque credit, ex hac vita discedit. Justificatio igitur & fides in adultis sunt tẽpore simul. Secundum, *quia Lutherani omnes extollunt Spiritum precum, & invocationem, & tamẽ hæc fides tollit orationem dominicam. Nam si certò credo me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fidẽ dico, dimitte nobis debita nostra.*

Verùm si adversarii ex Paulo didicissent, regeneratos & justificatos homines Spiritu servi-

re legi Dei, carne legi peccati, & in regeneratis & justificatis habitare peccatum, eosq; in membris suis sentire legem rebellantem legi mentis suæ, & facere, interdum malum, quod nolunt, & omittere bonum, quod volunt, scirent hominem justificatum quotidie peccare. Ac proinde opus esse, imò necessarium, ut quotidie oret, sibi peccata dimitti. Deinde protestantes non dicunt se nullum habere peccatum. Didicerunt n. ex Iohanne ep. I. c. 1. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos metipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Sed dicunt nos per Christum gratis justificatos esse. Longè autem aliud est, gratis justificari per Christum, &, nullum omninò habere peccatum. Ridiculum est, quòd dicit Calvinistas, dicere, Anabaptistas non posse servari nisi convertantur, & tamen certò scire eos credere sibi peccata esse remissa. Nemo enim nostrum docuit se certò scire Anabaptistas credere sibi peccata esse remissa, quis enim de alterius fide sibi quicquam certò promittere potest?

Cætera quæ de Anabaptistarum caninis nuptiis, & incestis conjugiis narrat, ipsi non agnoscunt, & haberet adversarius, quod ageret, si probandum sumeret.

Aequè falsum est, quod dicit Lutheranos docere infantes, dum baptizantur, uti ratione, audire verbum Dei, credere, diligere, nihil enim umquam tale quicquam vel apud illos legi,

vel audivi, dicit Synodo VVitebergensi anno 36. Hoc publicè definitum esse, quare verba Synodi non ascribit?

Addit Calvinistas docere omnia fieri absoluta necessitate, & Deum esse auctorem peccati, utrumque crassum mendacium, neq; umquam probaverit Bellarminus, Calvinum ita vel docuisse, vel scripsisse.

Addit Papisticam Ecclesiam nullum errorem, nullam turpidinem, nihil contra rationem docere.

Impia dogmata papistica.

Quàm verò hoc arrogantor? Annon Papistæ palam docent, suum Papam esse Episcopum universalem? quod adeò detestatus est Gregorius Magnus, ut asseruerit id esse contra *veteres canones*, contra *mentem scripturæ*, contra *omnes Ecclesias*, & contra *ipsum Deum*, neque *ullum unquam virum bonum illum titulum usurpasse?* Nonne in libris suis ritualibus Iesum Christum planè negant esse spem suam? Equidem in Antidotario oratione ô Clementissima legimus, *Adsis mihi, ne desperatione succumbam mortis in agone, cum* Nulla *spes est altera, nisi tu virgo puerpera, Patris parens & filia, cui me reconcilia.* Si præter illam Nulla spes altera est, tum utique Christus non est spes nostra.

Idem docent Missificem ex pane facere Deum; Bel. lectione 4. supra canonem Missæ. *O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, veluti in utero virginis filius Dei incarnatur.*

Et

Et, *Quis umquam vidit talia, quis huic vidit similia? Qui creavit me (si fas est dicere) dedit mihi creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me.* Hunc furfuraceum, quem creant, Deum, populo adorandum ostentant, ac tandem devorant. Dionysius Carthusianus vita sacerdotum, *O sacerdos os tuum quotidie receptaculum & sepulchrum Christi efficitur.* Hac religionis turpitudine ita notus fuit quidem Philosophus, ut dixerit se multas stultas religiones vidisse, sed nullam stultiorem, quàm quæ est Papistarum, ut qui creant suum Deum, & eundem Deum quem crearunt, & divinis honoribus coluerunt, devorent. Iura & leges Paparum nihilo sunt puriores, distinct. 32. c. Is qui, in Rubrica, *Qui non habet* (loquitur de presbytero) *uxorem, loco ejus concubinam habere* DEBET. Docent publicis libris, ut Christiani suos reges, si non obediant Papæ Romano, occidant. Hinc tam multa regicidia per Europā hoc tempore perpetrata. Num ad huc dicet Bellarminus, in Romana Ecclesia nullam esse doctrinæ aut legum turpitudidem?

Protestantes recipiunt eam doctrinam tantum, quæ sacra scriptura comprehensa est.

Quod ad nos attinet, palam protestamur, nos nullam doctrinam agnoscere, quàm quæ sacra scriptura comprehensa est. Tantùm enim illud, quod ea continetur, credimus. Hanc nostræ fidei & omnium dogmatum regulam & normam esse asserimus, neque scripta Lutheri, Calvini, & aliorum doctorum recipimus, quàm quatenus

cum

cum hac congruunt; eaque liberrimè rejicimus, quando ab ea discrepant.

Caput III.

Nota nona doctrinæ efficacia.

An doctrinæ efficacia sit Ecclesiæ nota?

Duplex Doctrinæ efficacia.

Efficacia doctrinæ duobus modis accipi potest. Cùm enim doctrinam efficacem esse dicimus, vel intelligimus multos per eam affici, vel significamus quosdam per eam (quæ est vera ejus efficacia) ad Deum converti. Illa non semper convenit veræ doctrinæ, hæc non est humanis occulis perspicua. Etsi enim videmus quosdam verbo Dei affici, tamen ex externis gestibus de conversione ad Deum perfectè judicare non possumus. Quod enim ad externa attinet, inter hypocritam & verè fidelé sæpè distingui nequit. Quandoque etiam accidit, ut quis verè ad Deum jam conversus sit, quem adhuc procul à Deo abesse arbitramur, & vice versa, adhuc longè absit à Deo, quem jam dudum ad eum conversum esse suspicamur. Causa hujus rei est, quòd conversio fit in mente & in corde, & aliquando conspicuos fructus non profert. Atque hoc est, quod scriptura clamat, 2. Tim. 2. 19. *Fundamentum Dei stat, novit Dominus, quinam sint sui.* Ille enim solus corda nostra intueri, & secundum occulta eorum judicare potest. Cùm Elias non solùm nullos fructus videret suæ prædicationis, sed etiam opinaretur

Salvifica doctrinæ efficacia non videtur humanis oculis.

Elias.

præ-

præter se neminem superesse, qui verè ad Iehovam conversus esset, responsum tulit à Deo. *Reservavi mihi septem millia, qui non curvaverunt genua sua Baâli,* ex quo efficitur, conversionem ad Deum non esse humanis oculis conspicuam. Bellarminus idem docet de Ecclesia militante, lib. 3. cap. 10. fol. 227. *Nemo potest certò scire, qui sunt verè justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exterius præ se ferunt, cùm certum sit, multos ubique esse hypocritas & falsos fratres.* Cum igitur conversio interdum in corde hominis lateat, & ob eam causam ab alio conspici non possit, &, cùm hypocrita sæpè eosdem (quòd ad externa attinet) fructus proferat, quos conversus, manifestum est, hanc doctrinæ efficaciam non posse Ecclesiæ visibilem notam esse. Adversarius hic fluctuat. Nam cùm proposuisset nonam notam esse efficaciam doctrinæ, subjungit solam veram Ecclesiam habere doctrinam non solùm *immaculatam, sed etiam convertentem animas*, ut dicitur psalm. 18. & *sermonem vivum penetrãtem usq; ad divisionem animæ & spiritus.* Heb. 4. Cum quo consentit illud Deuteron. 4. 8. *Quæ est gens ita magna, cui sint statuta & judicia justa, sicut est universa lex ista, quam ego do coram vobis hodiè.* Verùm hinc sequitur, doctrinam convertentem animas esse veram notam Ecclesiæ. Nam si sola vera Ecclesia habet hanc doctrinam; tum utique illa est vera Ecclesia, quicunque hãc doctrinam habet, neque errat, quicunque eum

cœtum

cœtum Ecclesiam esse dicit, in quo hanc doctrinam esse intelligit. Sed hoc est, quod nos dicimus, verbum Dei esse veram Ecclesiæ notam, doctrina enim convertens animas est verbum Dei. Sed hæc doctrina quandoque uberes fructus profert, quandoque nullos fructus ædit, qui humanis sensibus, percipi possint. Præterquam enim quod docuimus conversionem hominis ad Deum, adspectu non sentiri, videmus etiam quandoque vel nullos vel paucos hac doctrina commoveri. Cùm enim Noach prędicaret, populum diluvio periturum esse, nisi resipiscerent, nullos vel admodum exiguos fructus suæ prædicationis vidit. Nemini enim præter suos domesticos hoc persuadere potuit. Esaias palam conqueritur sua prędicatione commoveri neminem. *Quis*, inquit, *credit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* cap. 53. 1. Cùm Elias multos annos concionatus esset, hos vidit fructus laborum suorum, ut diceret, *Zelando zelatus sum pro Iehova Deo exercituum, dereliquerunt enim pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & remansi ego solus, quærúntque animam meam ut auferant eam.* Ieremias dicit, *contestando contestatus sum patres vestros, die quo ascendere feci eos è terra Ægypti, usque ad diem hanc mane surgendo, & contestando, dum dicerem, audite vocem meam, & non paruerunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt quisque in pravitate cordis sui.*

Verbi prædicatio quandoque exiguos fructus profert Noach.

Quid?

Quid? Christus filius Dei, nónne eandem sortem subivit? *Ierusalem, Ierusalem*, inquit, *quoties volui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & tu noluisti*, Matt. 23. 37. Interea non negamus prædicationem verbi sæpe illustres fructus parere, ut cùm ter mille homines unica Petri concione permoti se ad Ecclesiæ societatem adjungerent, Act. 2. 41. addimus eam numquam infrugiferam esse, sed ejus fructus nō semper aspectu sentiri, ut Eliæ exemplo manifestum est. Cùm igitur Ecclesiæ doctrina neq; semper uberes, neq; semper fructus homini conspicuos proferat; negamus hanc efficaciam posse visibilem & perpetuam Ecclesiæ notam esse.

Verbi prædicatio interdū uberes fructus profert.

Econtrà falsa doctrina sæpe plurimos homines ad se trahit & rapit. Hoc & Apostoli prædixerunt, 2. Thess. 2. 11. *Deus illis immittet efficacitatem erroris, ut credant mendacio.* Experientia id verum esse testatur. Gentilis enim idololatria, & Mahumetis blasphemia diversis temporibus, tam efficaciter insederunt hominum animis, ut universum pœnè terrarum orbem occuparint. Neque hoc à natura alienum est, cùm en. à natura proni sint ad malum, quis miretur eos paratiores, & prōptiores esse ad malam doctrinā percipiendā? Deinde doctrina salutaris est supra hominis captum posita, neq; à quoquā pcipi potest, nisi ab illo, qui à Deo per spiritū sanctum convertitur; quod quanquam in promptu sit; tamen unc atq; altero exemplo à me probabitur, Act. 14. 48.

Falsa doctrina sæpe multos ad se rapit.

Homo natura pronus ad falsam doctrinam.

Doctrina salutaris superat hominis captum.

dicit

dicit Lucas eos tantùm *credidiße, qui erant ad vitam æternam præordinati*. cap. 15. 14. *Deus aperuit cor Lydiæ, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo*, & ne quis existimet hæc tantùm esse singularia, & non esse omnibus credentibus communia, dicit scriptura, neminem *posse ad Patrem venire, nisi quem ille traxerit*, Ioh. 6. & neminem posse sermoni Dei credere, nisi cui brachium domini reveletur, Esaiæ 53. 1. sed paucissimi semper inveniuntur, quibus Deus vel cor aperiat, vel brachium suum revelet; & contrà, plurimi in errore relinquuntur, atque hi omnes semper parati sunt ad falsam doctrinam recipiendam. sponte igitur errare vult, qui negat mala & impia doctrina plures commoveri, quàm salutari & cœlesti. Equidem metuendum esset, ut pro Turcica religione pronuntiare cogeretur, quicunque ex hac re de Ecclesia statuere in animum induceret. Etsi enim papisticam religionem multi amplectuntur, tamen negari nequit, quin hæc in exiguos Europæ angulos compacta agat, cùm illa per magnam partem Europæ, per universam Asiam, & Africam, longè lateque propagetur. Si igitur ille cœtus est vera Christi Ecclesia, cujus doctrina plurimi afficiuntur; tum necessariò sequitur, cœtum Turcicum esse veram Ecclesiam. Nulla enim est doctrina, qua plures homines moventur, quàm Alcorana, ipse adversarius non negaverit plures esse, qui sequantur Alcoranum, quàm missam Romanam. Sed quid

Mahometismus latiùs patet, quàm Christianismus.

dicit

dicit Adversarius de primordiis Ecclesiæ Christi? Cùm scilicet tam pauci in Christum crederent, vel cùm omnes fideles post Christi mortẽ ob metum Iudæorum in uno conclavi congregati laterent, vel cùm Tyrannus gloriaretur se Christi, & Christianorum memoriam funditus extirpasse? Denique quid dicet de tempore passionis Christi, cùm in unica tantum Maria, (ut ipsi, licet falsò, perhibent) fides superesset? An & tum hæc doctrinæ efficacia erat vera & visibilis Ecclesię nota? Quanquam hæc efficacia nusquam fere clariùs eluxit, quàm in protestantium Ecclesia: simulatque enim Lutherus, Zvvinglius, Bucerus, Melanchon, Calvinus, OEcolampadius & alii Euangelici doctores prędicare cœperunt, tota Saxonia, Borussia, Marchia, Pomerania, Holsatia, Dania, Suetia, Polonia, Livonia, Hungaria, Transylvania, Austria, Stiria, Suevia, Franconia, Thuringia, VVestria, VVestphalia, Frisia, Helvetia, Anglia, Scotia, magna pars Galliæ, & multa alia regna aures arrexerunt, & grato animo tam salutarem prædicationem recceperunt. Et quod magis mireris omnes Monachi, Sophistæ, Parochi, Episcopi, Cardinales, ipse Papa, comites, duces, principes, Reges, ipse Cęsar quasi conjunctis viribus hanc doctrinã oppugnabant, & nihil non moliebantur, ut eam in herba enecarent, Lutherum proscribebant, damnabant, ejus libros exurebant, & quid non faciebant, ut eum è medio tollerent? ipse econtrà

Doctrina salutaris in protestãtibus est efficacissima.

Lutherus.

homo inops, pauper, egenus, omnibus mundi & hominum auxiliis destitutus, Euangelium longè lateque seminabat. Imò quo Papa cum suis Monachis & sophistis eum acriùs oppugnabant, eo ille fœliciùs prædicabat, & ferè tot trophæa ponebat, quot Papa adversarios in eum extimulabat. Tandem Cæsar, Rex Ferdinandus, Henricus Rex Angliæ, Georgius dux Saxoniæ, Rex Galliæ, & multi alii eum partim scriptis, partim armis persecuti sunt, sed omnibus istis conatibus hoc effecerunt, ut omnes homines intelligerent, veritatem quam prædicabat, esse insuperabilem, & ob eam causam homines nullis carceribus, exiliis, tormentis, martyriis deniq; ab ea deterreri potuerunt. Quam crudelitatem hostes Euangelii in Anglia, Gallia, Belgica, Germania, Hispania & Italia prætermiserunt, ut hanc doctrinam ex hominum animis evellerent? at quid profecerunt? an non quò eam crudeliùs persecuti sunt, eò illam reddiderint illustriorem? Tanta efficacia hæc doctrina & prædicata, & recepta est, ut ejus hostes expalluerint, & non solùm confessi sint, eam non esse ab homine profectam, sed etiam adhuc ex animo doleant, eam tam tenaciter hominum animis insidere. Quin nisi papistæ tam exquisitis tormentis excarnificarent eos, quicunque hanc doctrinam recipiunt, nisi inquam armis, laqueis, & flammis suos ab ea absterrerent, jam pridem omnia simulachra & delubra eorum videre-

deremus deserta & derelicta. Tanta est vis, tanta efficacia hujus doctrinæ. Sed & altera efficacia (qua scilicet homines ad Deum convertuntur) etiam manifestè in hujus doctrinæ prędicatione elucet. Plurimi enim qui antè perditè & dissolutè vivebant, hac doctrina commoti vitam emendant, & quas voluptates carnisque illecebras sectabantur, eas nunc execrantur & abominantur. Verũ quoniã neq; hæc, neq; illa doctrinę efficacia, vera & visibilis Ecclesię nota est, ut antè probatum est, non est necesse de ea plura dicere. Tantùm juvat breviter explicare, quibus rationibus eam aliis doctrinis adimat, & soli Romanæ vendicet. Principiò dicit Philosophos non potuisse vel vicina oppida ad suas leges convertere: quod stuporem arguit. Non tantùm enim vicina oppida, sed integra regna, sed & totus penè terrarum orbis falso Deorum cultu, quem philosophi docuerunt, inebriatus fuit. Aequè insulsum est, quod de Mahomete affert. Tota enim Asia & Africa ejus blasphemiis fascinatæ sunt. Suggerit autem nobis argumẽtum, dum dicit Mahometem non doctrinæ efficacia, sed armorum metu suam doctrinam propagasse. Hæc enim nemo umquam crudeliùs factitavit, quàm Papa Romanus. Equidem his iisdem mediis olim cælibatum persuasit Germanis. Iisdem mediis docuit Germanos ut investituram Episcoporum sibi cederent. Iisdem mediis primatum persuasit Europæis. Equidem

Doctrina à protestãtibus prædicata plurimi ad Deum cõversi sunt

Philosophorum doctrina.

Mahumetismus.

Papa suã doctrinam armis propagat.

VValdenses, Albienses, Bohemos, Gallos, Belgas, tantùm ferro, igni, exiliis & direptionibus bonorum ad se convertere studuit. Cùm nuper Germanis non posset persuadere, ut concilium tridentinum susciperent, ad hæc media recurrit, horret animus meminisse istarum cædium, incendiorum, bellorum, vastationum, quibus Papa suam doctrinam propugnavit, & etiamnũ tuetur ac defendit. Muretus Carolum nonum magnis laudibus effert, quòd Papæ Romano in nuptiis Bartholomænicis tam fidelem operam navaverit. Cùm nuper illa tam formidabili classe Anglis concionari in animum induceret, præcinebat poëta,

Nuptiæ Bartholomæanæ.

Inanis Papistarũ jactantia de populis à se conversis.

Tu qui Romanas voluisti spernere leges,
Hispanio disces subdere colla jugo.

Idem Papa in numerum divorum retulit, qui Henricum III. tam nefariè interemit. Quàm multos Monachos, viros pacis scilicet, emisit, qui Henricum IIII. Regem Galliæ, Elizabethã Reginam Angliæ, Principem Mauricium vel veneno vel ferro ad ipsum converterent? Annon totos hos triginta annos hispanicis armis in Belgica concionatus est? Hæc omnia etsi tam horrenda sunt, ut eorum sine stupore recordari non possimus; levia tamen esse videntur, si conferas cum istis prædicationibus, quibus Indos ad Papatum conversos esse docet Bartholomæus à casas, sed de his paulò post erit melior dicendi occasio.

Hic

Hic subjungit, hæreticos non convertere, sed pervertere homines, quod concedimus verum esse de iis, qui revera sunt hæretici, intereà tamẽ non possumus dissimulare, quòd hæretici quandoque homines magno numero sua doctrinâ commoveant, & ad hæreses suas recipiẽdas permoveant. Arrium quandoque totus penè orbis secutus est. Alii hæretici habuerunt suos discipulos; ac doctrinam suam tam efficaciter hominum animis impresserunt, ut multi maluerint mortem oppetere, quam à doctrina, quam semel hauserant, desciscere, quod igitur dicit hæreticos non ferire corda infidelium, non omninò verum est. Etsi enim ea ad Christum non convertant, ita tamen feriunt illorum corda, ut ea pervertant, & ad interitum usque indurent. Hoc ita esse non solùm experientia docet; sed scriptura etiam testatur, *Ego*, inquit Christus, *veni in nomine Patris mei, & non recipitis me, si venerit alius in nomine suo illum recipietis.* Paulus conqueritur hæresin esse instar fascini, quo Galatę *fascinati* sunt. Esaias docet Dominum *miscuisse illis spiritum vertiginis, ut errare fecerint Ægyptios in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.* Ex quo intelligitur hæreticos quandoque cum magna efficacia docere, & auditores in suam nassam pertrahere. Quin ipse Antichristus, hæreticorum omnium princeps tantam habebit efficacitatem deceptionis 2. Thes. 2. 11. ut universum penè orbem Christianum decepturus sit.

Hæretici sæpe multos sua doctrina commovent.

Iohan. 5. 43.

Gal. 3. 1.

Esa. 19. 14.

eò enim usque propagabit virus hæresium suarum, ut omnes incolæ terræ, paucis quibusdam exceptis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, sint eum adoraturi, Apocalyp. 13. 8. Ut nemo nisi amens dixerit, Ecclesiæ proprium esse, quod Philosophi, Turcæ, Hæretici, ipse denique Antichristus sibi vendicare potest.

Posthæc docet doctrinæ Ecclesiæ efficaciam, eamque quibusdam exemplis illustrare conatur, quod non fuisset necessarium, ipsi enim ultrò confitemur Ecclesiæ doctrinam esse efficacem, didicimus enim ex scriptura, eam esse *potentiam Dei ad salutem omni credenti*, Rom. 1. 18. Cùm igitur Deus tam potenter per eam operetur, ut nos omnes per eam ad se convertat, nemo inficias iverit, eam efficacem esse, neque hoc in controversiam, quod sciam, umquam venit, probat igitur adversarius quod probationis quidem qua ad nos, non indiget. Sed hæc est ejus versutia, tantùm ad incautum lectorem fallendum comparata. Cùm enim proposuisset efficaciam doctrinæ esse Ecclesiæ, uni, soli, & semper propriam, atque hoc ipsum probare non posset, deflectit de via, & probat doctrinam Ecclesiæ esse efficacem. Perinde ac si proposuisset, bipedem esse, convenire homini, uni, soli, & semper; & ego regererem, anseres, gallinas, & multas alias species animalis esse bipedes: ille tamen hæc omnia surda aure præteriret, & longa exemplorum inductione probaret, unumquemque hominem

Acumen adversarii

esse

esse bipedem, atque inde concluderet, hoc esse uni homini, & soli, & semper proprium. Equidem in hunc modum disputat adversarius; dicit efficaciam doctrinæ esse Ecclesiæ quarto modo propriam: Nos regerimus & philosophos, & Turcas, & hæreticos, & Antichristum afficaciter docere. Verùm ille hæc omnia negligit, iisque neglectis, probat Ecclesiæ doctrinam esse efficacem, atque inde infert, eam esse Ecclesiæ quarto modo propriam. Hoc verò est disputate. Posset fortasse hîc aliquis suspicari alteram doctrinæ efficaciam, qua scilicet homines ad Deum convertuntur, esse Ecclesiæ propriam, hoc est, esse tantùm in Ecclesia, quod fatemur; sed dicimus adversarium de ea non disputare, addimus eam humanis oculis conspicuam non esse, quod & antè probavimus, unde apparet & hanc visibilem Ecclesiæ notam esse non posse. Nam quod neque sensibus externis conspici, neque acie atque acumine humani ingenii comprehendi potest, hoc non rectè dixeris visibile esse. Deinde cùm & hæretici, & Turcæ, & philosophi, & Antichristus, & veri Ecclesiæ doctores aliquam doctrinam habeant, qua suos commoveant & ad se alliciant, atque illa tantùm doctrina recta sit, qua ad salutem commovemur, cùmque illa nusquam doceatur quàm in Ecclesia, in eaque doceatur sine intermissione, tum utique sine errore possumus dicere, istum cœtum esse veram Ecclesiam, in qua hæc doctrina

docetur, eos verò cœtus in quibus ea non docetur, non esse veram Ecclesiam, ob eamque causam hanc doctrinam esse veram & propriam Ecclesiæ notam. Nam si doctrina convertens animas ad Deum, docetur in Ecclesia, neque usquam docetur nisi in Ecclesia, idque omni tempore, sine interruptione. Tum facilè poterimus, nisi nosmetipsos velimus decipere, judicare, quænam congregatio sit vera Ecclesia, ubicunque enim hæc doctrina prædicatur, ibi est Ecclesia; & ad hanc congregationem debes te adjungere, ubicunque verò non prædicatur, ibi non est Ecclesia, & ab ea congregatione debes abstinere. Nulla igitur ratione poteris negare doctrinam convertentem animas nostras ad Christum esse veram & propriam Ecclesiæ notam.

Doctrina convertens animas ad Deum est Ecclesiæ nota.

Ut doceat aût adversarius doctrinam Ecclesię esse efficacem: dicit verè sanctam & Apostolicam Ecclesiam olim, brevissimo tempore, per homines contemptibiles externa specie, sine armis, & sine pompa verborum, totum mundum traxisse, hoc est homines magnos, parvos, doctos, indoctos, juvenes, senes, viros, fæminas, & traxisse non ad delicias hujus seculi, sed ad res credendas supra omnem rationem, ad crucem, ad angustias, & ad vitam perfectissimam repugnantem carni & sanguini, & hæc omnia, propter prēmium nullum in hac vita, sed solùm propter præmium in futura, & hoc ita persuasisse,

ut

ut maluerint plurimi potiùs omittere omnes opes, honores, amicos, affines, & vitam ipsam, quàm Christi fidem. Ut hoc verum esse fatemur, ita dicimus hos ipsos homines contemptibiles, hoc est, Apostolos, & eorum præceptorem Christum, quandoque nullos vel exiguos fructus suæ prædicationis vidisse. Cùm enim Paulus Athenis prædicaret Christum, hos vidit fructus suarum concionum, ut plerique dicerēt, *quid vult nugator iste? videtur peregrinorum Deorum annunciator esse*, Act. 17. 18. Ipse Christus cùm Hierosolymis prædicaret, hos vidit fructus suorum laborum, ut diceret, *ego quidem volui te congregare ô Ierusalem; sed tu noluisti*, Mat. 23. 37. Idem, cùm illud splendidum miraculum faceret in territorio Gadarenorum, & paratus esset illis regnum Dei annunciare, hos vidit fructus, ut Gadareni juberent ipsum ex finibus suis excedere, Luc. 8. 37. Plura exempla passim exstant. Quid igitur cùm hæc doctrina uberes fructus proferret, erat doctrina Ecclesiæ? cùm verò non proferret tam uberes fructus, non erat eadem doctrina Ecclesiæ? & cum proferret fructus copiosos, tum ille cœtus, in quo prædicabatur, erat Ecclesia? cùm verò tam copiosos fructus non proferret, hic idem cœtus, non erat Ecclesia? Apage has nugas. Doctrina enim Ecclesiæ, est quasi Ecclesiæ semen, atque hoc ipsum in terra quandoque occultatur, neque exserit vires suas, quandoque verò uberrimè

Vera doctrina quãdoq; exiguos fructus profert.

crescit, & fructus suos longè lateque propagat. Et ut bonus ager est bonus ager, etiam eo tempore, quo semen, tanquam in sinu suo, occultat & fovet: ita etiam Ecclesia est Ecclesia, etiam tum, cùm verbum Dei in ea latens non ita exseritvim & potentiam suam, ut in externos sensus nostros incurrat. Porrò isti cœtus quos, Apostoli colligebant, non propterea erant vera Ecclesia, quòd erant admodum copiosi, & frequentes, sed quòd verbum Dei amplectebanrur, & per illud ex tota hominum multitudine ad Christi communionem evocabantur. Frequentiores enim sępè sunt hæreticorum, Antichristi, & Turcarum cœtus. Et cùm hi cœtus per publicos præcones æquè atque veræ Ecclesiæ evocentur, non ex multitudine convocatorum differentiam sumere debes, potest enim fieri, ut hi cœtus diversis temporibus & numerosiores sint, & rariores, & tamen sint iidem cœtus. Distinguuntur autem per præcones, & imprimis per eos, qui eos convocant. Ecclesia enim Atheniensis convocabatur per illum, qui jus convocandi habebat Athenis; Corinthiaca per illum, qui jus convocandi habebat Corinthi, de reliquis omnibus similiter judicandum est. ita & Ecclesia Christi à cæteris distinguitur, quòd in nomine Christi convocatur. *Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum*, Mat. 18. 20. Atque in hujus nomine nullus alius cœtus convocabatur; Etsi quidam etiam

no-

nomen Christi ementiantur, videndum est, quinam cœtus verè in nomine Christi convocetur, & quinam nomine tenus. Hoc nusquam possumus dijudicare, nisi ex ipsius verbo, in eo n. suam voluntatem nobis plenè revelavit. qui igitur per præconium Dei verbi evocãtur, hi sunt Ecclesia Dei. August. de unitate Ecclesiæ cap. 2. *Inter nos & Donatistas quæstio est, ubinam sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus, in verbis Donati eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? puto quòd in illius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optimè novit corpus suum. Novit enim Dominus, quinam sint ejus.* Chrysost. hom. 49. imperfecti in Matth. *Cùm videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Ecclesiæ sanctis, tum qui in Iudæa sunt conferant se ad montes, hoc est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas.* Et, *Antea multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ gentilitas, nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia, nisi solummodo per Scripturas.* Et, *quia hæresis omnia similiter habet, volens ergo cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturam?* Eodem modo cœtus Apostolorum non propterea erant veræ Ecclesiæ, quòd eorum Collectores Apostoli essent homines contemptibiles. Nam & hæresiarchæ, & Philosophi, qui ingentes cœtus cõgregabant,

Augustin.

Ecclesia in verbo inquarẽda

Chrysost.

erant homines cõtemptibiles, & tamen illorum cœtus non erant veræ Ecclesiæ. Quanquam & nostro seculo Lutherus, Zvvinglius, OEcolampadius, Bucerus, Calvinus, Melancthon, & alii fuerunt homines externa specie contemptibiles, & sine armis & pompa verborũ totam penè Europam ad se traxerunt. Lutherus inops & egenus, & omni mũdano auxilio destitutus, in prima confessione terrebat ipsum Carolum, & Leonem decimum. Nam cùm VVormaciam accerseretur, ipsius libri palam comburebantur, ille ipse non auditus, nedum convictus publicè à Papa condemnabatur. Amici eum monebant, ut se subduceret, futurum enim esse, ut ipsi fides servetur, quemadmodum Iohanni Husso fuerat antè servata, ad quæ ille non solũ intrepidus, sed plusquã heroico spiritu afflatus respondebat, *ego ingrediar Civitatem, & me Cæsari sistam, etiam si tam multi Diaboli in ista urbe meæ animæ insidientur, atque sunt tegulæ in omnibus tectis domorum Civitatis VVormatiensis.* Quod & fecit. Nam cùm omnes opinarentur eum tot tantisque præjudiciis cõdemnatum, se omnino subducturum esse, ipse intrepidus in nomine Domini Iesu Christi apparuit, & omnes hostes suos perterruit, ab eo tempore innumeræ provinciæ ipsius præconio commotæ ad Christum conversæ sunt, eaque omnia, ad quæ omnes politici obstupescunt, & ipsi Papæ etiamnum expavescunt, sine omni vi externa, sine opibus & auxiliis mun-

Lutheri ingressus in VVormatiam.

mundanis facta sunt, & adhuc quotidie fiunt, & licet protestantium Ecclesiæ hac ratione sint Apostolicis Ecclesiis cõsimillimæ, tamen eas propterea veras Ecclesias esse non dicimus, sed quia verbum cõvertens animas audiunt, amplectuntur & sequũtur, eas veras Ecclesias esse pronunciamus. Nam cùm Papistæ nos hæreseos accusẽt, & nos illos multarum hæreseon arguamus, controversum inter nos est, ubinam vera Christi Ecclesia reperiatur. sequamur igitur in hac quæstione definiẽda, regulã ab Augustino & Chrysostomo positam, & *eam in verbis capitis sui Iesu Christi*, hoc est, *in verbo Dei quæramus*. Quod si fiet, non Ecclesia Romana, sed Ecclesia protestantium vera Ecclesia esse reperietur.

Quare protestantium Ecclesia sunt vera Ecclesiæ?

Post hæc dicit Gregorium per monachos cõvertisse Anglos. Hilarium per suos emissarios convertisse Francones. Gregorium secundum per Bonifacium cõvertisse Germanos, eodemq; seculo Hungaros per emissarios Papæ esse conversos. Eugenium per Adrianum convertisse Norvvegos, per Vincentium innumera millia Saracenorum conversa esse, denique nostro seculo novum orbem per Papistas cõversum esse. Hæc miror Adversarium, virum doctum in tanta, non solùm Euangelii, sed historiæ luce, atque cognitione, non erubuisse scribere. Paulò enim ante scribit homines contemptibiles, hoc est, Apostolos totum mundum ad Christum convertisse, & hoc verum esse docet scriptura. Sed si

Apostoli totum mundum cõverterunt, tum falsum est, Angliam, Germaniam, &c. per Papistas conversas esse.

Iam verò Tertullianus qui multis seculis vixit ante Gregorium, scribit, contra Iudæos c. 7.

Tertull. *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, provinciarum & Insularum multarum nobis ignotarũ, & quæ enumerare minus possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat; utpote ante quem omnium Civitatũ portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ.* Huic consonat Theodoretus, sermone

Theodoretus. nono contra Græcos. *At nostri,* inquiens, *piscatores ac publicani sutorq; ille noster, cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt, Neque solùm Romanos, quique sub Romano vivunt imperio, sed Scythas quoq;, atque Sarromates, Indos præterea, Æthiopes, Persas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimbros, & Germanos, utq; semel dicatur, omne hominum genus, nationésque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere.* His

Gildas. cæteri veteres assentiuntur, Gildas enim docet Iosephum Arimathæum in Anglia prædicasse. Nicephor. l. 2. cap. 4. docet Simonem Zelotem in eadem prædicasse, Theodoretus lib. 9. contra Græcos docet, Paulum Apostolum in ea prædicasse. ut quivis videat falsum esse, quod adversarius de harum gentium conversione cõ-

men-

mentus est. quod verò ad hunc Augustinū attinet, ille non convertit Angliam, sed pervertit eam & turbavit, ut eam Romanæ sedi subjiceret. Viros item doctos, Episcopos, Monachos, & alios doctos viros, qui Ecclesias in Anglia, antè hoc tempus, cum laude gubernaverant, huic Augustino unanimiter restitisse, ejusque superbiam & arrogantiam aversatos fuisse, ex Beda colligi potest, lib. 2. c. 2. De cæteris est idem judicium, sed quoniam ea nobis alio loco explicata sunt, non est necesse, eadem hic repetere. Tantùm libet conversionem Indicam, quę jam admodum recens est, attingere, & sanè miror, quòd non meminerit laborum Papæ, quos in Belgis & Gallis convertendis sustinuit, & adhuc sustinet. Tam sedulò enim in Belgica convertenda laboravit, ut Historici narrent eum, triginta sex millia tantùm propterea, quòd voluerunt Iesum Christum sincere adorare, per carnifices curasse occidi, priusquam Albanus in Belgicam veniret, hic ipse Albanus gloriatus est, se propter eandem causam, octodecim millia per carnificem occidisse; exceptis iis, qui in præliis occubuerunt. In Gallia æquè strenuè eandem rem egit, tradunt enim probati auctores, in hoc uno regno, unius mensis spacio, ultra viginti millia occisos esse. His mediis Philippo in Hispania; Maria in Anglia regnante, concionatus est, iisdem mediis Indos ad se convertit, testantur ipsorum historiæ

Augustinus perturbavit Angliam.

Conversio Indorum.

Tyrannis in Belgas.

Tyrannis Albani.

Crudelitas in Gallos.

riæ, Castilianos ultra ducenta hominum millia ferro & igni, in istis provinciis occidisse, tempore duodecim annorum sustulisse omnes indigenas, qui fuerant in Hispaniola, adegisse miseros Iudos ad eas angustias, ut & uxores & liberos suos, seque ipsos suspenderint: cibare & pascere molossos, quos habent magno numero, artubus & visceribus miserorum hominum, venãtur eos, quemadmodum Europæi venantur lepores. Equuleos duxerunt in medio foro, in quos mille homines simul agunt, idque quotidie, eósque vivos miris modis excarnificant, ut aurum, quo expleri nunquam possunt, extorqueant: adigunt eos in militiam, neque ullum subsidium vitæ ipsis militantibus præbent, sed cogunt eos crudas hostium carnes devorare. Tanta est eorum crudelitas avaritiaque, ut triplo plura mancipia navibus imponant, quàm sint ferendo. Deinde si aliqua tempestas ingruat, eosdem tanto numero in mare præcipitant, ut nautæ subsequentes (horret animus meminisse) non indigeant quadrati nautici, sed posſint in tam vasto mari cursum rectum tenere, dum sequutur vestigia miserorum hominum, quos præcipitarunt, in mari natantium. Quis igitur miretur illorum conciones esse admodum efficaces ad Indos commovendos? Intereà tamen in religione nihil proficiunt, quì enim possent ab iis discere, à quibus vident quotidie tam enormia, támque impia perpetrari? plura & quidem

Crudelitas in Indos.

dem crudeliora his, quæ dixi, lege apud Episcopum Hispanum Bartholomæum à casas. *Bartholomæus de la Casas.*

CAPUT IV.

Nota decima vitæ sanctitas.

NOta decima, est vitæ sanctitas auctorum sive primorum patrum nostræ religionis. Sed est duplex sanctitas, una externa, interna altera. Externa etiam impii, Pharisæi, hæretici & hypocritæ præditi esse possunt. Augustin. de moribus Ecclesiæ l. 1. c. 1. *Manichæi sanctitate morum multos decipiebant.* Interna verò, externis sensibus percipi non potest, Rom. 2. 29. *Qui in occulto Iudæus est, & circumcisio cordis, id est, in Spiritu, non in littera, cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo.*

An vitæ sanctitas sit Ecclesiæ nota?

Duplex sanctitas. Externa. Interna

Harum neutra visibilis nota Ecclesiæ esse potest, illa einm tam impiis convenit, quàm piis, hæc non incurrit in sensus externos. Frustrà jactat Prophetas & Apostolos esse papisticæ Ecclesiæ doctrinæ auctores. Nam hi neque papisticam Ecclesiam genuerunt, neque papisticam doctrinam tradiderunt. Nisi fateatur Bellarminus, doceat, ubi, quando, quibus libris docuerint, vel mortuos eorumque reliquias, & imagines esse religiose colendas & adorandas? vel missificem posse Deum creare? vel posse filium Dei offerre patri in sacrificium? vel filium Dei in manu sacerdotis incarnari? vel corpus sacer-

Prophetæ & Apostoli non genuerũt papismum.

dotis esse sepulchrum Christi? vel sacrificium, quod missifex offert, esse propitiationem pro vivis & mortuis? vel Papam Romanum esse universale caput totius Ecclesiæ? vel papalem potestatem esse tanto majorem imperatoria potestate, quanto sol terra major est? vel de necessitate salutis esse omnem creaturã rationalem subesse Papæ Romano? vel posse idem in terra, quod Christus in cœlo? posse contra vetus & novum Testamentum dispensare? vel posse aliquem interventu pecuniæ à peccatis absolvere? vel non debere reprehẽdi, etiamsi mille animarum acervos ad Gehennam deduceret? neque quemquã debere illi dicere, Domine quare facis sic? vel denique esse purgatorium papisticum? vel conjugium esse Episcopo illicitum? vel præsbyterũ debere habere concubinam? vel Papam totumque clerum nulli magistratui esse subjectum? vel hominem ex puris naturalib. posse ex congruo mereri primam gratiam? & eundem ex condigno posse mereri vitam æternã? vel Mariam esse mediatricem justificationis, sanctificationis & reconciliationis nostræ cum Deo? vel non esse credẽti aliam spem quàm virginem puerperam? vel posse aliquem à throno justitiæ Christi appellare ad thronum misericordiæ Mariæ? vel posse quemquam per monasticam mereri summam felicitatem? vel Monachum posse plus facere, quàm Deus mandavit? eumque sua opera erogationis posse alteri vendere? & hæc ipsa prodesse

desse alteri ad consequendam beatitudinem? ostendat ex Dei verbo vel Prophetam, vel Apostolum hæc omnia, vel horum quicquam præcepisse, & fatebimur eos esse Papisticæ doctrinæ auctores. Franciscum & Dominicum fuisse homines impuros, & sola hypocrisi conspicuos, vel ex ipsorum Legendis patet. Quid enim Franciscus tam fuerit Christo familiaris, ut latuerit in ipsius vulnere? Dominicus tam occultam & obscænam familiaritatem coluerit cum diva virgine, ut hæc illum absconderit sub fimbria vestium suarum? *Franciscus Domin.*

Lutherum pro auctore nostræ doctrinæ non agnoscimus, fidelem Christi servum fuisse confitemur, de ejus vita Cochlæus capitalis hostis testimonium dicere non potest: qui ipsius vitam desiderat cognoscere, legat Philippum, qui eum optimè novit, & ejus vitam bona fide descripsit: ipsi hostes testantur eum fuisse integra & inculpata vita. Si Papistæ vel tantillum in ipsius vita deprehendere potuissent, quod carperent, non siluissent. Erasm. in epist. *Hominis vita* (loquitur de Luthero) *maximo omnium cõsensu probatur, jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Et, *Illud video, ut quisque est optimus, ita illius scriptis minimè offendi.* Et, *si illi faverem, ut viro bono, quod fatentur & hostes, quæ esset invidia?* At fuit, inquies, durior in adversarios suos, præsertim in Regem Angliæ. Du-

Lutherus non est auctor nostræ doctrinæ.

Cochlæi mendaciis non credimus.

Lutherus fuit vita inculpata.

Lutheri vehementia excusatur.

cem Brunsuicensem, & Marchionem Misniæ. Ad quod dicimus nos non contendere eum ab omni peccato fuisse liberum, neque eum se pro tali unquam gessisse. Addimus isti seculo opus fuisse tali medico, & tam alto sopore immersos fuisse Monachos, Papam totumque Clerum, ut opus fuerit Luthero, qui illis veternum excuteret. Erasmus in Epist. *Mores Christianorum undiq; corrupti flagitabant immitem aliquem castigatorem.* Et, *Nostri mores meruerunt tam inclementem medicum, qui sectionibus & usturis curaret morbum*. Hussium, Pragensem, Savonarolam, VVichlephum, Valdenses, Taborithas, Picardos, & multos alios audire noluerunt. Hujus buccinam volentes nolentes audire coacti sunt, & licet esset pauper, egenus, inops, & omni humano auxilio potentiáque destitutus, ita tamen Papam, omnesque ejus conjuratos ministros sua voce terruit, ut omnes ad ipsius vocem contremuerint, & ad ipsius calamum, tanquam ad Iovis fulmen, trepidaverint. Qui istius seculi genium citra præjudicium expendet, cogetur fateri, illum solius numinis auxilio fretum res tantas & cepisse & perfecisse. Papa illi interdicebat sacris, & anathemate feriebat, omnes Academiæ, Monachi, Episcopi, Cardinales eum execrabantur, omnes Principes & Reges eum persequebantur, ipse terror orbis Carolus, qui de potentissimo Francorũ Rege, Electore Saxoniæ, duce Geldriæ, & Lantgravio Hassiæ triumpha-

umphavit. Qui universam Lombardiam, Hetruriam, & totum regnum Neapolitanum suis armis subjugavit. Ipse inquam Carolus, Papæ & totius Cleri auxilio fretus, pace cum Turca facta, & fœdere cum Europæis Regibus inito, hunc unum Monachum debellare, aut ex imperio profligare non potuit. Quin indignantibus Papa, Imperatore, Regibus Galliæ, Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, ringentibus omnibus Academiis, Monasteriis, & capitulis, miser hic Monachus doctrinam Christi per universam Europam longe lateque propagavit. Horret animus meminisse, quot miseri homines propter doctrinã Christi à Luth. prædicatam, in Gallia, Hispania, Italia, Germania, Anglia, Belgica, Scotia, & aliis Europæis regnis ad furcas & flammas abrepti, quàm multi in terram defossi, in aquam præcipitati, & exquisitis tormentis in carceribus enecati sint. His omnib. suppliciis & machinis papalibus, quid aliud effectum est, quàm ut hæc doctrina, quæ antè latebat, in iis regnis, in quibus tam crudeliter oppugnata est, nunc palam publicéque prædicetur? Interea non negamus Lutherum fuisse hominem, & ex infirmitate humana præsertim in modo agẽdi errare potuisse. Verùm qui ex adverso considerabit, quàm crudeliter, & contra omnem Ecclesiastici, & civilis Iudicii formam, cum eo ab Ecclesiasticis, & Politicis hominibus actum sit, et quàm ille in principio se modestum præstiterit quámque æquas

æquas conditiones suis adversariis obtulerit, veniam dabit generoso animo, quòd tam multis contumeliis irritatus, ipse hostes suos duriùs tractaverit. Ipsius libri publicè exurebãtur, doctrina quam prædicabat, damnabatur, ipse ab Ecclesiasticis prælatis damnabatur, à civilibus Magistratibus proscribebatur. Hæc omnia fiebant indicta causa, nullo præcedente legitimo judicio, imò ne judicii quidem formula. Indocti Monachi excerpebant ex ipsius libris, quæ non intelligebant, eaque in alienam sententiam detorquebant, sepè etiam non bona fide describebant. De his homine non audito, nedum convicto, sententia ferebatur. Ita actum esse testantur ipsius hostes. Erasmus ad Episcopum Maguntinum, *Compertum est ab his damnata ut hæretica in libris Lutheri, quæ in Bernardi & Augustini libris ut Orthodoxa, imò ut pia leguntur.* Quis igitur miretur, eum cum hominibus tam profanis, tam injustis, tam crudelibus egisse duriusculè? Tandem enim fit læsa furor patientia. Confitemur, hoc ipsum libenter, verùm sine ullo detrimento nostræ doctrinæ. Nam, ut jam diximus, Lutherus non est auctor illius, neque nos in ejus verba juravimus, ac licet eum fidelem Christi servum, & utile instrumentum ad illustrandum Euangelium fuisse libenter comfitemur, tamen quod ab illo factum est, toti corpori imputari non débere asserimus, præsertim cùm nihil ab eo dictum vel scriptum recipia-

mus

mus, nisi quod cum scriptura congruit, & cætera, quæ ab ea discrepant, cum bona ejus pace liberrimè rejiciamus.

Si hæc non satisfaciunt adversario, conferat modestiam & mansuetudinem Papæ, prout illa à viris doctis et quidem papistis descripta est, cum superbia et ferocia Lutheri, et judicabit fortasse rectiùs. Aventinus Annalium septimo loquitur de Papa. *Qui servus servorum est, Dominus Dominorum, perinde ac si Deus esse, tesse cupit. Ingentia loquitur, quasi Deus sit, leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille quem Antichristum vocare solent, in cujus fronte scriptum est, blasphemiæ nomen,* DEUS SUM, *errare non possum, in templo Dei sedet, longè latèq; dominatur,* De majoritate c. Unum sanctum. *Papa dicitur cœlestis & terrestris imperii habere Monarchiam.* Et, *Omnem creaturam de necessitate salutis subesse Papæ Romano.* In concilio Romano sub Iulio, Patres acclamant Papæ, *Tu es omnia, & supra omnia, omnis potestas tibi data est in cœlo & in terra.* Ioh. de Turre cremata lib. 3. *Si totus mundus sententiaret contra Papam, tamen Papæ judicio standum esset.* Aventinus lib. 7. *Pontifices Romani affectant divinitatem, & dominationem, ut ab omnibus non aliter, imò magis, quam ipse Deus, timeantur.* Blondus lib. 3. instauratæ Romæ, *Principes orbis terrarum dictatorem perpetuum, non Cæsaris, sed Piscatoris successorem,*

Collatio modestiæ Papæ cum superbia Lutheri.

& imperatoris prodicti vicarium Pontificem suum adorant & colunt. Aventin. annalium. 7. *Rex Theutonicorum, unde habet imperium* (inquit Papa) *nisi à nobis? Ergo per nos imperat, Roma nostra sedes est Imperatoris in Arduenna. Imperator quod habet, totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit imperium à Græcis ad Teuthonicos; ita nos possumus illud ab Alamannis transferre ad Græcos, Ecce in potestate nostra est, ut demus, cui volumus.* Bonifacius octavus jubebat ante se, in Iubilæo, alta voce proclamari: *Ego sum Papa & Cæsar, Cælestis & terrestris imperii dominium habeo.* De Electione, cap. venerabilem, *ille transfert imperia de gente in gentem, & dat ea quibus vult.* Glossa in c. periculoso. De statu regularium in sexto. *Totius orbis Papa tenet principatum.* c. de re judicata. *Papa habet utriusq; potestatis, temporalis & spiritualis monarchiam.* Cerem. papil. l. 1. titulo. 7. *Papa in nocte nativitatis Domini, benedicit ensem, quem postea donat alicui principi, in signum infinitæ potentiæ Pontifici collatæ. juxta illud, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* c. Quarto. *dicit sibi voluntatem esse pro ratione.* Idem dicit, *se esse supra concilia universalia.* Baldus dicit, *majorem esse Papæ, quàm omnium sanctorum potestatem.* Distinct. 40. c. si Papa, *Non debet reprehendi, etiamsi innumeras animarum catervas secum ducat in Gehennam.* Clemens sextus in Bulla mandat Angelis, ut *animam è purgatorio penitus absolutam*

tam, in paradysi gloriam introducant. De modestia, quam Papa ostentat, cùm equitat, cùm assidebit mensæ, prolixe scribitur in libro Ceremonialium Papalium. Ego tantùm addo, Papam Romanum, adeò modestum esse, ut regibus & principibus suos pedes osculandos præbeat, quid ego de osculo pedum dico? Adeò modestus est Papa, ut Imperatoris, ac summi inter Christianos Monarchæ, sibi supplicis collum calcaverit suis pedibus. Si adversarius hanc summam modestiam & mansuetudinem Papæ expendet, fortassè mitiùs loquetur de Luthero, & cogitabit turpe fore in alterum dicere, & iisdem, quæ in aliis carpit, vitiis, imò majoribus laborare. Quanquam in exemplo est etiam nonnihil dissimilitudinis. Lutherus enim non est caput nostrum, neque ille se pro tali gessit, neque nos eum pro tali agnoscimus. Papa verò est universale caput suorum, quam ob causam, Lutheri peccata nos præstare non tenemur. Papæ verò turpidines universo corpori rectè tribuuntur. Gregorius lib. 4. Epist. 32. *Vniversa Ecclesia à suo statu corruit, quando is, qui universalis appellatur, cadit.*

Progreditur adversarius à doctoribus ad populum, & dicit in Catholica Ecclesia esse multos malos. Sed ex hæreticis (ita vocat protestantes) esse nullũ bonum. Superbum sanè judiciũ. At sunt ex iis (Deo sit gratia) innumeri, qui in vera fide & in seria resipiscentia Deo serviunt, *An ex protestantib. nullus sit bonus?*

testantur hoc sua vita, & tam innumeris martyriis, quæ hoc seculo in Anglia, Gallia, Belgica & aliis Europæis regnis vidimus. Non magni igitur facimus, quo loco Monachus Papæ mancipatus nos habeat. Exultamus autem & gaudemus, quòd cùm mala de nobis dicunt, mentiantur. Quòd Lutherus populi peccata tam graviter insectatus est, non juvat adversarium, adhortationes enim & correptiones sunt generales, & tamen non debent nisi iis, qui deliquerunt, applicari. Prophetæ eodem modo loquuntur. Esaias c. 1. v. 21. *Quomodo facta est ut meretrix civitas fidelis, erat plena judicii, justi tui morabantur in ea, nunc homicidæ.* Avertat Bellarminus oculos paululùm à nobis, eosque ad suos convertat, & videbit fortassè trabem in oculis suis. Sic enim inquit Petrarcha de Ecclesia Romana. *O Fons errorum, domicilium irarum, schola errorum, templum hæresium, olim Roma nunc Babylon falsa & nequam, officina fraudum, in qua bonum interit, malum creatur & oritur, viventium inferne & cruciatus, nide proditionum, in quo latitant, quæcunque mala per orbem Terrarum hodiè sparguntur.* Et in Epistola. *Quicquid de Assyria, vel Ægyptia Babylone, quicquid de Labyrinthis, quicquid denique de Averni limine, de tartareis sylvis legitur, huic tartaro admotum fabula est. Hic turrificus simul & terrificus Nimrod, hic pharetrata Semiramis, hic inexorabilis Minos & Rhadamantus, hic Cerberus omnia devorans. Hic Tauro supposita Pasyphaë*

Lutherus graviter insectatus est vitia suorum auditorum.

Sanctitas Romanæ Ecclesiæ.

phaë, mixtumq́ genus prolesq́ biformis minotaurus inest. Veneris monumenta nefandæ. Hic postremò quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile, aut est, aut fuit, aspicias, atque ut breviter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina. Mantuanus. 4. fastorum,

——*Romana gravi maculata veneno*
Curia, quæ spargit terras contagia in omnes,
Et ——————*Romæ*
Omnia cùm liceant, non licet esse pium.

Prætereo turpitudinem execrabilem ab ipsis Cardinalibus obscænis libris laudari, & æstivis mensibus à Papa approbari, nihil dico de Lupanaribus Romæ, & vectigalibus ex iis. Taceo fœdam Monachorũ & Nonnarum vitam. Tantum dico Romanam Ecclesiam adeò turpem & fœdam esse, ut omnium hominum judicio, nemo tam bonus revertatur Roma, atque istuc profectus est, num adhuc sanctitatem vitæ arrogabit Ecclesiæ Romanæ?

CAPUT V.

Nota undecima gloria miraculorum.

NOta undecima est gloria Miraculorum. Hoc argumentum admodum prolixè tractat adversarius. priusquam respondeamus, explicandum est, quid nomen significet. Miraculum distinguitur in illud, quod propriè miraculum est, & in illud quod secundum opinionem,

An gloria miraculorum sit Ecclesiæ nota.

Miraculũ.

nem,

nem nostram miraculum esse putatur. Illud definitur à Scholasticis, *quòd contra totam naturam fiat.* Hoc definit Augustinus de utilitate credendi, cap. 16. in hunc modum. *Miraculum voco quicquid arduum aut insolitum, supra spem, aut facultatem mirantis apparet.* Illud solius Dei virtute, hoc etiam ab creaturis fieri potest. De illo loquitur adversarius. Hujus generis est futura prædicere. Esa. 44. 7. *Quis est sicut ego, qui annunciet vobis, quæ paulò post sunt ventura, & quæ futura sunt longo post tempore?* Sed hoc ex revelatione Dei, & à malis & à bonis Doctoribus fieri legimus. De bonis non est dubium, à falsis id fieri docet Moses lib. 5. cap. 13. vers. 1. *Si surrexerit in medio tui Propheta, qui prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est.* Idem fit in Ecclesia, & extra eam, in ea id fieri nemo negat; Extra eam id fieri docet Moses lib. 4. 24. 17. *Video,* (inquit Balaam, qui fuit extra Ecclesiam) *illum, sed non modò; intueor illum, sed non de prope: procedet stella ex Iacob, & surget sceptrum ex Israele, & confodiet angulos Moab, & destruet omnes filios Zeth.* Fuisse autem hanc prædictionem veram eventus probavit. Porrò miraculum quod fit in Ecclesia, quandoque doctrinæ confirmandæ, quandoque etiam hominum explorandorum causa patratur. De illo non est dubium. Hoc docet Moses Deuteronom. 13. 2. *Non obedies verbis Prophetæ illius. Quia Iehova Deus tuus tentat vos, ut sciat*

Miraculū propriè sic dictum à solo Deo fieri potest.

Prædicere futura.

at an diligatis Iehovam Deum vestrum ex toto corde vestro. Vt manifestum sit non solùm ab iis, qui à Deo missi sunt; sed etiam ab iis, quos Deus non misit, neque solùm in Ecclesia, sed etiam extra eam, neque solùm doctrinæ probandæ; sed etiam hominum explorandorum causa, vera miracula fieri. Hinc est quod Augustinus dicit de unitate Eccles. c. 16. *Quæcunque miracula in Ecclesia Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Catholica; quia hæc in ea fiunt.* Hoc sufficeret ad totam hanc disputationem profligandam. Sed quia adversarius hoc argumentum admodum anxiè tractavit, paulò ulterius progrediendum est.

Vera miracula fiunt à bonis & à malis, in Ecclesia, et extra eam doctrinæ cōfirmandæ, et homines probandi causa.

Augustin.

Dicit miracula ad novam fidem, & extraordinariam missionem persuadendam esse necessaria: per fidem intelligit, opinor, doctrinam. Ergo ad novam doctrinam persuadendam sunt miracula necessaria? Sed hæc de vera & falsa doctrina intelligi potest, utraque enim cùm primùm promulgatur, est nova. Atqui in Veteri Testamento Adam annunciavit novam doctrinam, cùm suis domesticis liberationem à peccato per semen mulieris annunciaret, & tamen nō legitur miraculum ullum fecisse. Iohannes item promulgavit novam doctrinam, & populum à cultu Levitico, ad Christum deduxit, & tamen disertè inquit Iohan. 10. 41. quod *nullum signum ediderit.* Deinde pseudoprophetarum & Antichristi doctrina est nova, cùm primùm promulgatur,

An miracula ad novam doctrinā probandā sint simpliciter necessaria?

Iohannes non edidit miracula.

mulgatur. Atqui hi omnes suam doctrinam multis signis confirmabunt. Matthæi. 24. 24. *Surgent pseudoChristi, & pseudoProphetæ, & edent signa magna & prodigia: ita ut seducant, si fieri posit, etiam electos.* Apocalyp. 13. 13. *Edet bestia signa magna, adeò ut etiam ignem faciat de cœlo descendere, & seducet incolas terræ, per signa quæ data sunt ei.* Ex quo intelligitur, novam doctrinam veram posse sine miraculis promulgari, & fallam, eámque novam quandoque miraculis probari.

Pseudo-Christi, et pseudopropheta edũt miracula,

Extraordinaria missio est duplex, una ad cultum, quem Deus instituit, immutandũ: altera ad corruptelas vulgò receptas abolendas. istius rei causa missus est Iohannes, hujus Michæas, Enoch, Noach, & alii, sed nemo ex his ad doctrinam, quam annunciavit, probandam miraculum ullum, fecisse legitur. Michæas quidem prædixit futura, sed ea tum neque eventu erant comprobata, neque ullo signo obsignata.

Extraordinaria missio.

Quòd dicit eum, qui mittitur, debere litteras sigillo obsignatas afferre, vel ab ordinario prælato, vel ab ipso Deo: sigillum autem Dei esse miracula, non per omnia verum est. Nam si hoc de modernis prælatis intelligit, petit illud quod est in principio. Ipse non ignorat, inter nos controversum esse, an prælati papales habeant mittendi potestatem. Ut taceam adversarium sibi ipsi contradicere. Antè enim dixit hanc facultatem competere ei tantùm, qui habet indeter-

An missus debeat habere litteras sigillo obsignatas

Contradictio.

indeterminatam regionem, & Apostolicam potestatem, hoc est, Papæ Romano. nunc dicit eam competere ordinario prælato. Quod ad rem ipsam attinet, uni ministro istam potestatẽ non ascribimus. Dicit quidem Apostolus ad Timotheum, *ut oppidatim constituat Episcopos*, sed hoc intelligendum est cum consensu præsbyterii, quemadmodum ipse Timotheus constitutus erat. Sigillum mittentis vix putamus esse necessarium. In primitiva enim Ecclesia, legimus multos ab Apostolos missos esse, sed de sigillo ne verbum quidem in toto novo Testamento. Ordinatio enim fit publicè in conspectu, Ecclesiæ Missio ad alias Ecclesias fit cum consensu eorum, ad quos quis mittitur. Publica illa actio est instar multorum signorum. Si intelligit extraordinariam missionem, tum non est simpliciter verum, quod dicit, nam ut jam ostensum est, extraordinaria missio potest esse, & sæpe fuit sine miraculo. Apostolos habuisse facultatẽ edendi miracula legimus, Marc. 16. & ad Heb. 2. neque nos hoc negamus. Sed soli Apostoli non sunt extraordinariè missi. Non igitur rectè dixeris. Apostoli virtute edendi miracula præditi, & extra ordinem missi fuerunt. Ergo omnes extraordinariè missi, hanc virtutem habent. Augustinus dicit lib. 22. cap. 8. de civitat. *Miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet.* Rectè, *Incredibili enim rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ fiebant, &* *videban-*

Sigillum in primitiva Ecclesia an fuerit usitatũ

An omnes extra ordinem missi debeãt miracula edendi potestatem habere?

videbantur, fecerunt fidem. Sed postquam mundus credidit, non opus est novis miraculis. Docet hoc Augustinus eodem loco, *Possem*, inquit, *dicere necessaria fuisse miracula, priusquam credidit mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis, adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum est prodigium.* Eodem modo locutus est Melancthon, subjungit miraculum esse sufficiens ad probandam doctrinam, idque propterea, quòd est testimonium Dei, sed hoc jam antè refutavimus, & ostendimus falsum prophetam etiam eum, qui est extra Ecclesiam, posse virtute Dei vera miracula edere.

August.

Qui nunc prodigium requirit, ipse prodigiũ est.

His jactis fundamentis, colligit apud Hæreticos (ita nos vocat) non esse veram fidem, idque propterea, quod nulla habent vera miracula, & tamen prædicant novam doctrinam, neque sunt ab ordinariis prælatis missi, utrumque nullo negotio refellitur. Nam primum quod dicit de nova doctrina, falsum est, credimus enim omnia ea, quæ sunt in scripturis sanctis, & extra ea nihil credimus, recipimus symbolum Apostolicum, Nicęnũ, Ephesinum, Chalcedonense & Athanasianum, omniaque dogmata in scriptura revelata, & istis symbolis explicata, cum summa reverentia accipimus. Nemo igitur qui frontem habet, dicet nostram doctrinam esse novam. Sed dicam quid sit, non recipimus monachorum somnia, quæ illi post & contra sacram scripturam somniarunt, & quibus universum

Protestantes non habent novã doctrinam

niversum penè orbem dementarunt. Inde colligit nostram doctrinam esse novam. Sed his missis cùm credamus omnibus iis, quæ scripta sunt, & extra ea nihil recipiamus, sufficiunt nobis ista miracula, quibus scriptura ipsa approbata est. Neque quisquam nisi qui ipse prodigium est, à nobis plura miracula requiret.

Protestantibus non opus est miraculis.

Quod ad missionem Lutheri, OEcolampadii, Buceri, & aliorum attinet, neque simpliciter ordinaria, neque etiam prorsus extraordinaria est. Si respicis ad modum doctrinæ, fuit sanè extraordinaria, extra ordinem enim corruptelas, quas ipsi etiam Papæ in Ecclesiam irrepsisse confessi sunt, oppugnarunt: si verò ad primam illorum ordinationem respicis, fuerunt missi ut cæteri: ac proinde si quid sani fuit in papali ordinatione, hoc etiam in Lutheri & cæterorum ordinatione fuisse necesse est. Deinde ostensum est antè, non omnem extraordinariam missionem indigere miraculis. Quod igitur adversarius tam magno conatu dixit, per se corruit.

Missio Lutheri, Buceri & aliorum.

His subjungit, Staphyli & Bolseci narrationes de miraculis Lutheri, & Calvini, quas phlyarias nulla alia responsione dignamur, quàm dolere nos Bellarminum esse tam exigui judicii, ut horum nebulonum mendacia, ad stipem à Papa impetrandam conficta, contra viros innocentes & inculpatos, in tam recenti memoria allegare non erubescat. Scribit Staphylus Luthe-

Staphyli et Bolseci mēdaciis non credendū.

De Lutheri sepultura.

rum mortuum adeò fœtuisse, ut ipsius amici, cadaver, quod Islebia VVitebergam deferre volebant, præ nimio fœtore coacti fuerint in itinere relinquere. Cùm constet ipsius sepulturam tam nobilem, et splendidam fuisse, ut multi Principes, totusque populus VVitebergensis, magnaque multitudo studiosorum, propter nimium, quod relinquebat desiderium, ejus cadaver cum magno honore ad sepulchrum usque deduxerint. Bolzecus narrat Calvinum voluisse Genevæ mortuum excitare, quod adeò insipidè & stultè ab eo confingitur, ut vel ipsum Diabolum, qui est mendaciorum & calumniarum pater, ejus pudeat. Posthæc narrat multa miracula, quæ diversis seculis acciderunt, quod quorsum faciat non video. Quæ enim ab Apostolis facta sunt, frustra papalibus dogmatis, extra & contra scripturam inventis applicat. Quæ verò subsequentibus seculis à Monachis vel ficta, vel facta sunt, nos ne movent quidem. sunt enim illa magna ex parte ita non solùm stulta & fatua, sed etiam impia; ut non nisi ab indoctis & impiis monachis excogitari potuerint. Possem hoc nuda quorundam narratione demonstrare. Sed non est necesse. Nos iis omnibus opponimus illud Augustini. tractat. 13. In Johannem. *Contra istos mirabilarios cautum me fecit Deus meus dicens. In novissimis diebus exsurgent multi pseudo Prophetæ facientes signa & portenta, ut in errorem inducant si fieri possit, etiam electos. Ecce*

Augustinus contra mirabilarios.

prædixi

prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus. Huic consentit Lyra in 14. cap. Danielis. *Aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi, in miraculis fictis à sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum temporale, & talia scilicet sunt exstirpanda à bonis prælatis.* In eundem modum scribit Augustinus de unitate Eccles. c. 16. *Non dicat*, inquit, *ideò verùm esse, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille frater noster, aut soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur; aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quòd cùm dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui non nulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent addidit vehementer commendans,* & ait, *Ecce prædixi vobis.*

Fraus in Papalibus miraculis.

Neque nodum solvit, cùm dicit Augustinum tantùm oppugnasse quasdam visiones Donatistarum. Argumentum enim hujus est generale. Dilutum est quod dicit Antichristi miracula esse mendacia. Monachorum verò esse vera. Nam ut Monachi moderni sunt Antichristi ministri, ita eorum miracula sunt etiam mendacia, sæpè etiam vana & ridicula. Multò dilutius est, quod

Antichristi et monachorū miracula uno ordine habemus.

dicit vera miracula Ecclesiæ (intellige Papalem) approbatione distingui à falsis. Quis enim ei concesſit, Papæ esse dijudicare, quænam miracula sint vera, quæ falsa? Quis item ignorat multa inepta & ridicula miracula esse à Papis approbata?

An Papa sit vera miracula à falsis distinguere?

CAPUT VI.

Nota duodecima Lumen Propheticum.

An lumen propheticũ sit Ecclesiæ nota.

NOta duodecima est lumen propheticum. Sed superiore capite ex Mose lib. 5. c. 13. docuimus falsos Prophetas quandoq; vera prædicere; idem fieri posse extra Ecclesiam, docuimus exemplo Balaäm. Deinde lumen propheticũ non semper est in Ecclesia. 1. Mach. 9. 27. *Accidit Israëlitis tanta calamitas, quanta nulla unquam exstitit, ex quo nullus inter eos propheta visus fuit.* Paulò antè ostendimus etiam extra Ecclesiam prophetas h. e. qui futura prædicunt, fuisse. Ut manifestum sit, Lumen propheticum nec omni Ecclesiæ, nec soli, nec semper convenire.

CAPUT VII.

Nota decima tertia Confeſsio adversariorum.

An protestantes cõfiteantur Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam.

NOta decima tertia, est confeſsio adversariorum. Nos scilicet confitemur Papismũ esse veram Ecclesiam; Potuisset adversarius hâc

nota m

notam omittere. Lutherus enim, Melancthon, Calvinus, & omnes doctores nostri, qui hoc seculo floruerunt, unanimiter testantur Papam esse Antichristum. Si adversarius huic testimonio aliquid defert, non potest ex eo ostendere Papismum esse veram Ecclesiam. Non derogat causæ nostræ, quod Lutherus dicit *sub Papatu fuisse plurimum boni Christiani: atque illinc ad nos pervenisse, ut Scripturã, Baptismum, Catechismum* &c. Et, *sub Papatu fuisse veram Christianitatem imò verum nucleũ Christianitatis*. Nam ut in medio Pharisaismo Deus sibi conservavit reliquias Israëlis, Zachariam, Annam, Elyzabetham, Simeonem, Mariam, Iosephum & alios, ita in medio Papatu Deum conservasse sibi & adhuc conservare suos, jam antè ostensum est. Trahit autem adversarius Lutheri verba ulteriùs, quàm par est. Longè enim aliud est, sub Papatu fuisse nucleum Christianitatis, quàm ipsum Papatum vel esse, vel habere Christianitatis nucleum. Bernardum verè sanctum fuisse existimamus, sed addimus Papistas frustrà de eo gloriari. etsi enim vixit sub Papatu, doctrina tamen & moribus non fuit Papista. Disertè enim dicit *Papam Romanum succesisse Constantino, non Petro.* Franciscum, & Dominicũ, nostri vocant Sanctos, non quòd tales sint, vel fuerint; sed quòd ita vulgò appellentur. Multò minus causæ nostræ derogat, quòd in tabulis pacis inter Helvetios factæ, Papistica Religio vocetur vera

Bernardus fuit vir sanctus.

& Catholica. In hujusmodi enim formulis, homines prudentes & pacis amantes de titulis non sunt admodum solliciti, & sępè parti adversæ in ea re multum concedunt, ut rem ipsam, ob quam certarunt, obtineant. Non derogat Regi Galliæ, quod Rex Angliæ in pace cum eo facta vocetur Rex Franciæ; Quin cùm Abraham pacisceretur cum Labane, Laban jurabat per *Deos Nachor*, si quis inde inferre volet, Abrahamum approbasse Deos Nachor, faceret sancto viro magnam injuriam. Ut & injuriam faceret Christianis, si quis istos insimularet Mahumetismi, propterea quòd patiuntur Turcam in fœderibus, & pacificationibus jurare per Mahumeth.

CAPUT VIII.

Nota decima quarta infœcilitas hostium Ecclesiæ.

An infœlix exitus quorundã sit nota Ecclesiæ.

NOta decima quarta est infœlix exitus eorũ, qui Ecclesiam oppugnarunt. Sed exitus sive finis vitæ nostræ, duobus modus infœlix dici potest, vel enim reipsa, vel secundum opinionem hominum. Reipsa infœlix est eorum exitus, qui Ecclesiam oppugnant, & in peccato perseverant ac moriuntur. Sed hoc nobis sæpè non apparet. Hostes enim Christi licet infœliciter moriantur, tamen vitam hanc opinione omnium sæpè fœlicissimè transigunt, eandemque tranquillè & quietè finiũt, è contra qui Christo adhærent, & vera Ecclesiæ membra sunt, sæpè multis

Exitus vitæ nostræ duobus modis infœlix.

Hostes Ecclesiæ sæpè in tranquilitate moriuntur.

multis afflictionibus exercētur, & secundū opinionem hominū tragicos exitus habent, ut qui sæpè gravibus tormentis excruciantur, & exquisitis suppliciis enecantur. Hoc modo Prophetæ ferè omnes, omnes Apostoli, innumeri Martyres, ipse filius Dei Iesus Christus secundum opinionem hominū miserrimè perierunt. Cùm tamen revera illorum exitus fuerit fœlicissimus. Hinc est quod David dicit psalm. 116. 15. *pretiosa est in oculis Iehovæ mors sanctorum*, quo datur intelligi, eam sæpè vilem esse in conspectu hominum. Risum movet, quòd Lutherum, Calvinum, & Oecolampadium, inter eos numerat, qui Ecclesiam oppugnarunt. Nisi enim Ecclesiam Papæ intelligit, adeò crassè mentitur, ut ab ipsis pueris rideatur. Majorem risum excitat, quòd horum exitum tragicū esse mentitur. Quilibet enim Sanctus sibi talem exitum expetierit, qualis his Dei servis contigit. Conductitios Sycophantas, Bolzecum, Cochlæum, & Staphylum, non pluris facimus, quàm illos, qui dicebant *Si Rex Israel est, descendat de cruce, & credemus ei.* Mat 27.40. Quod ad Bellarminum attinet, majorem laudem inveniret, si à virulenta & mendaci maledicentia, quæ causam ipsius nihilo meliorem facit, abstinuisset. Hoc enim vestra maledicentia efficitis, ut ab omnibus bonis dignus laude esse judicetur, quemcunque, tam procaciter & petulanter proscinditis. Qui veram historiam de horum exitu scire desiderat, legat libros

Fideles Christi secundum mundi judicium sæpè habent tragicos exitus.

Lutherus Calvin. non oppugnarunt Ecclesiam.

Quilibet Sanctus posset sibi talem exitum expetere qualis Calvino & Luthero contigit

Habetur pro bono viro, qui à Iesuitis criminatur.

de illa re, ab iis qui morientibus affuerunt, editos, & videbit verum esse, quod dixi, quemlibet sanctum sibi talem exitum expetere posse. Zvvinglius in acie occubuit. Ratione enim officii suis adesse debuit, & ad extremum usq; munus suum constanter obivit. Aliud in eo, vel ipse Diabolus invenire nequit, quod criminetur. Si hòc culpandum est, ipsa militia culpanda erit, si verò pro religione, & cultu divino quæ sunt bono viro ipsa vita chariora, justum bellum geri potest. Nihil est quòd Zvvinglium quisquam magis criminetur quàm Iudam Machabæum, qui eodem modo pro Religione, & Lege Dei pugnans honestè occubuit.

Zvvinglii exitus.

Caput IX.

Nota decima quinta Fœlicitas Ecclesiæ.

An fœlicitas temporalis sit Ecclesiæ nota?

Nota decima quinta est fœlicitas temporalis eorum, qui Ecclesiam defenderunt. Etsi autem ex præcedenti capite satis intelligitur, fœlicitatem temporalẽ non esse, neq; esse posse Ecclesiæ notam. Tamen quia adversarius de hac re peculiarem disputationẽ instituit, etiam nobis, præter ea quæ diximus, plusculum disserẽdum erit. Fœlicitas igitur Temporalis est vera Ecclesiæ nota? Atqui Christus dicit ad discipulos suos, *In mundo oppreßionem habebitis,* Ioh. 16.33. & vers. 20. *Vos plorabitis & flebitis. Mundus autem gaudebit.* Paul. dicit 2. Tim.

Sancti in mundo affliguntur.

3. 12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patientur.* Num hos extra Ecclesiam projiciet Bellarminus? an verò discipulos Christi, dum in mundo peregrinantur, persecutionem passuros ac fleturos esse, & tamen fœlicitatem temporalem Ecclesiæ notam esse asseverabit? Hoc viro cordato & prudenti sufficeret: sed quia adversarius multa petulanter, imò pueriliter dicit; paulò plenius respondendum erit. Inter cætera jactat fœlicitatem belli sacri ad recuperandam terram sanctam, ab Papa suscitati. *Bellum sacrum.* Rectiùs autem suæ famæ & honori consuluisset, si hoc bellum silentio præteriisset. Nam cùm Papa speciosas causas huic bello prætenderet, facilè commovit universam pænè Europam, & effecit, ut præstantissimi duces omne robur militis Christiani in Asiam deducerent. Sed his conatib. quid aliud, quàm interitus fortissimorum ducum, Clades exercituum, Regnorum vastationes, & imperii diminutio, quęsitum est? In ipso templo Hierosolymitano tantùm cruoris humani effusum est, ut equi usque ad genua starent in sanguine humano. Ad Ascolonem uno prælio perierunt centum millia. Gulielmus Pictaviensis novum exercitum, in quo erant centies mille equites & pedites adduxit; de tanto autem numero vix mille redierunt. Iisdem prętextib. in hoc bellum protruditur Fredericus Barbarossa. *Fredericus Barbarossa* Hunc ipse Papa transmissa clanculum imagine Turcæ prodidit, ut scribit

Balæus in Alexandro Tertio. Iisdem prætextibus Papa in hoc bellum protrusit Henricum secundum, & cùm ille agnoscens Papæ fraudes tergiversaretur, excommunicatus est. Qui bruto fulmine Papæ territus in militiam abit, ut bānum aboleret. Dum autem ille in Asia rem fortiter agit. Papa domi omnia turbat. Imperatoris provincias, Calabriam & Apuliam per vim occupat, & ut Imperatorem diu in Asia detineret, scribit ad Suldanum, ut terram sanctam non reddat, neque cum Henrico pacem faciat. Cùm autem his non obstantibus, Imperator multis urbibus recuperatis pacem faceret, impedivit eum omnibus modis Papa ne exercitum reduceret, & cùm hoc facere non posset, rursus eum suo fulmine feriit, neque bannum nisi centum aureorum millibus abolere voluit. Hoc bello periit omne robur Christiani militis. Præstantissimi duces interierunt, Omnis Christianismus ex toto Oriente profligatus est, Turcæ ita exasperati sunt, ut Christianis ex Africa, Asia, & multis Europæ regnis ejectis, ne nunc quidem in nos sævire desinant. Hoc bello Europæi Reges ita debilitati sunt, ut se Papæ Romano submiserint. Ipsi Imperatores & hoc bello, & turbis per Papas (dum ipsi aberant) domi concitatis, ita fracti sunt, ut sua colla Papæ pedibus submittere coacti sint. Hoc bello religio periit, pietas interiit, Imperii majestas concidit. Hoc bello Papæ tyrannis eousque crevit,

Henricus secundus.

Papæ artes

Fructus belli sacri.

crevit, ut omnem imperii majestatem, sibi arrogarit. Heu miseranda Christianorum fœlicitas.

Post bellum sacrum recenset centies mille Albiẽses in Gallia uno prælio cęsos esse. Quousque gloriabitur impius in impietate sua? Ut olim Machabæi religione moti prælium detrectabãt, & se trucidari patiebantur, ne Sabbathũ profanarent: Ita hi miseri & innocentes homines, cùm essent inermes, & manus in cœlum tenderẽt, atq; pacẽ peterent, cum uxoribus & infantibus miserè trucidati sunt. Posset Bellarminus his adjungere Mernidolenses, Agrienses, Angrunicenses, & papistarum de iis victorias. Usque quo Domine non vindicas sanguinem sanctorum tuorum?

Albienses

Mernidolenses.

His adjungit Bella Helvetica, Germanica, Gallica, Belgica, & plusquã pueriliter garrit papistas omnibus præliis superiores fuisse. Quod si verum est, qui fieri potuit, ut papatum omnibus Europæ viribus, potentiáque munitum, ringentibus, & indignantibus tot Papis, Regibus & Imperatoribus, ex tam multis provinciis profligaverint? Vno prælio Helvetico Papistæ fuerunt superiores, aggressi enim sunt Euangelicos, priusquam illi convenire, & aciem instruere possent, Carolus quintus superavit Saxonem, postquam ille maximam exercitus partem à se in Misniam, & Saxoniam dimisisset, & Landgravius cum suis discessisset, mira certè & stupenda miracula. At quid profuit illi ista victoria? non-

An Papistæ fuerint omnibus præliis cùm contra protestãtes bella gesserũt superiores?

Protestantes.

Prælium Helveticũ

Caroli victoria de Saxone.

nonne quibus artibus Saxonē debellavit, iisdem à Mauritio fugatus, ad tantam desperationem adactus est, ut se imperio abdicare coactus fuerit? In Gallia, Germania, & Belgica Papistæ omnibus præliis superiores fuerunt? quis igitur exitus fuit istius formidabilis classis, quam Philippus anno 88. emisit? Quis fuit eventus præliorum Diepensis ubi Menius profligatus est, In campis druidum, ubi Egmūdanus cæsus est, & Neoportēsis, in Flandria, ubi Ammirātius captus est? Turnhoutani, & aliorum? quis exitus præliorum navalium in Scaldi? mari australi, ubi Bossu captus est? & aliis locis? Nónne Belgæ Philippo omne imperiū maris ademerūt? nónne paucis annis innumeras & potentissimas urbes, Groningam, Daventriam, Sutphaniam, Noviomagum, Bredam, Gertrudebergam, Slusam, Gravam, Steenvicam, suo imperio subjecerunt, nónne innumera Castella eaque loco & opere munitissima, Delfsylam, Reidam, Coverdiam, Goram, Brevordiam, Andriscum, Isendicum, Hispanis extorserunt? Quid quæso laudabile hisce annis in Belgica ab Hispanis gestum est? Narrant Philippum triginta tribus annis, hoc est ab anno sexagesimo sexto, usque ad annum nonagesimum nonum, in bellum Belgicum, quinquies mille & quingentos nonaginta quatuor milliones Ducatorum, hoc est, centies sexagies septies mille octingentas, & viginti tonnas auri, ut nunc loquimur, expendisse. Cui pecuniæ confe-

Classis anno 88.

Prælia Gallicana

Prælia Belgica.

Belgæ fœliciter gesserunt Bellum.

Scribunt Philippum triginta tribus annis, consūpsisse 5594 milliones Ducatorū hoc est, 16782. tōnas auri, ut Belgas subjugaret

conferendæ non sunt omnes Europæi Reges atque Principes. quid verò tam prodigiosis sumptibus, & tam variis multisque exercitibus laudabile fecit? Si vultis oculos aperire Iesuitæ, agnoscite digitum Dei, & confitemini, non sine auxilio numinis fieri, quòd tãtus Monarcha, tantorum tamque multorum Regnorum Rex, omnibus viribus, & suis, & Papæ, & totius Cleri, atque amicorum suorum, ne unum quidem Principem, eumque non potentem, nisi per fraudem & insidias opprimere potuerit? Iudicate ipsi, annon Princeps Mauritius injustam Patris necem cum admiratione, & stupore totius orbis ulciscatur? Si vultis veritatem dicere, cõfitendum vobis erit, Belgicam esse sepulchrum Hispanorũ. His adjungite exitũ Francisci secũdi, Caroli noni, Henrici tertii, & Guisiorũ, qui oẽs strenuam operam navarunt Papæ Romano in occidendis & exstirpandis fidelibus, & gloriamini illorũ vitam & mortẽ fuisse fœlicem. Carolus enim nonus vivens & spirans à vermibus cõsumptus est. Franciscus ludicro certamine occisus est. Henricus tertius & Guisius se mutuis cædibus interfecerunt. His addite Ioh. decimũ qui Cervicali in os injecto (ut Platina narrat) in carcere suffocatus est. Christophorum malis artib. pontificatũ accepisse & amisisse. Iohannem duodecimũ in adulterio deprehensum & confossum. Bonifacium septimum pontificatum, quẽ malis artibus acceperat, miserrimè amisisse, vitam-

Tam multa legiones attrita & accissa sũt hoc bello Belgico, ut earum numerus iniri nequeat

Princeps Auraicus per fraudẽ casus.

Tragicus exitus Paparum.

vitamq; turpiter finiisse. Gregorium decimum quintum, effossis prius oculis, pontificatu & vita simul privatum. Sylvestrum secundum postquam in Basilica S. Crucis Romæ in Hierusalẽ sacrificasset, extinctum. Benedictũ judicio divino damnatum, propterea quòd pontificatũ auro vendiderat. Victorem secundum veneno in calicem injecto sublatum. Clementem septimum, Alexandrum sextum (ut scribit Balæus) inaudito veneficio occisum. Si plusquam tragicos horum exitus considerabitis, & simul annotabitis quàm sæpè fœliciter egerint, qui eos oppugnarunt, dicendum erit, aut fœlicitatem temporalem, non esse perpetuam Ecclesiæ notam, aut hos Papas, quos Platina *non homines sed monstra* fuisse testatur, de Ecclesia non fuisse.

FINIS.

Typographus Benevolo Lectori S.

Accidit nobis quod plerumque accidere solet festinantibus, ut crebrius pedes impingant, dum non tam ad vestigia quæ calcant, quàm ad scopum propositum respiciunt. Erratorum igitur hunc elenchum tibi exhibemus, ut ea in quibus impegimus, emendare possis.

Pag. 1. lin. 14. lege ὑμεῖς. 2.10. conciones. 34.8. Catechumenos. post. 35. numeri aliquot paginarũ emẽdandi. 30. 17. Sosomenus. 46.10. ligneis. lin.24. in marg. lege extraneos Pag.48.27. Pro & scr. Ar.52. lin. 20. in marg examinatur. 61. 7. quæ 62.19. ad. 86. 25. Ecclesia. 91.16. Christum. 17. servasse. 103.2. Expendant. 105.3. tolerantur. 111.16. descendit. 119.10. carneum. 120. pagina tota est textus Augustini. 121.24. quæ. 123. 9. contradicentes. 137.21. traditiones. 144.10. Uniuscujusq;. 153.27. nam. 155.28. sive. 161.23. diffusa. 177. 22. pro Ecclesiæ, lege veritatis. 186. 19. decimis lin. 20. plebeculam. lin. 24. nisi. 188. 12. veræ. 13. dele non 198.6. monasticæ. 208.8. Eccles. 227.11. cõfœderatis. Post 241. paginarum numeri aliquot corrigendi. 247. 24. pro ut lege ne. 25. intelligant, ibid. sint 255. 26. in marg. cælibatus. 256. lin. ult. ullo Post. 262. aliquot pagin. num. mutandi. 266. 14. in marg. falsam doctrinam. lin. ult. dele punctum. 26 .2. confessores. 277. 16. morientium. 279. 4. in marg. VValdensium. 286. 23. incurvabis. 301. 22. in margine Ecclesia. 305. 8. paræciæ 306. 15. Aquila. 16. exquisitè docuisset. 309. 14. Enim legitimum. 317. 8. in marg. An repudiet. 318. 16. lege, devictus est, huic & servus, &c. 319. 8. Ergo inquit. 320. dele tria ultima marginalia. 329. κακοζηλία 361. lin ult. pro puncto pone comma. 363. 2. Driedo. 364. 21. dissensio. 376. 28. cùm. 378. 26. Iidem 27. Biel 379. 9. motus, ibid. quidam. 381. lin. penult. Ecclesia quæcunque. 382. 6. edit. 388. 16. Hispano. 391. 6. efficaciter. 392. 7. dele punctum, & scr. cõma. 394. 10. amplectebantur. 400. 5. Indos. 406. 15. Moguntinum. 407. 10, lege, esset, esse cupit 408. lin. antepenult. innumeras.

Typographus Benevolo Lectori S.

[illegible] *plura* [illegible] *fuisse* [illegible] *quae tamen* [illegible] *Ita* [illegible] *tibi* [illegible]

Pag. 1 lin. 14. legendum. [illegible] 2. [illegible] Con- [illegible] tentionem [illegible] 9. contra [illegible] 140. [illegible] ut [illegible] decimam lin. ult. [illegible] 1 [illegible] 24. [illegible] 105. [illegible] 147, [illegible] sequentem. [illegible] lege [illegible] ultima [illegible] pro [illegible] 3 [illegible] 141, [illegible] 145. [illegible] 407. [illegible]

C

Index rerum, & verborũ, quæ in hoc libro tractantur. Numerus paginam ostendit.

A.

B.

C.

Consen-

Hugo.

Index

Index præcipuorum locorũ ſcripturæ, quæ in hoc libro citantur, & explicantur.

FINIS.